~~6.J.4.~~

VIII. I. F

X

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/monasteriisancta00rond

VIII.

MONASTERII SANCTAE MARIAE

ET SANCTORUM

JOHANNIS ET PAULI

DE

CASAEMARIO

BREVIS HISTORIA

Studio & opera

PHILIPPI RONDININI FAVENTINI

Digeſta & illuſtrata.



CONGREG. MISSIONIS
SS. IO. ET PAULI

ROMAE MDCCVII.

Excudebat FRANCISCUS GONZAGA in via Lata

Approbatione & permiſſu.

PRAESULI
Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo
HANNIBALI
ALBANO
CLEMENTIS XI. PONT. MAX.
Fratris Filio.

PHILIPPUS RONDININUS
felicitatem.

ACcepta a majoribus increbuit conſuetudo, PRAESUL ILLUSTRISSIME, *ut de quibus*

optime ſentimus, iis vigiliarum noſtrarum labores inſcriptos eſſe cupiamus. Quum itaque ea de te, tuisque moribus; religione, doctrina, modeſtia, humanitate, ceterisque, quæ virum nobilem decent, virtutibus ubique gentium egregia fama verſetur, unde omnium animos in tui amorem allicis atque obſervantiam, inde ego conſilium habui brevem hanc de Caſæmarii monaſterio hiſtoriam nuper a me digeſtam atque illuſtratam non aliis quam tuis committere auſpiciis. Huic potiſſimum accedit dignitas ar-

gumenti, inſigne nimirum monaſterium, quod ſibi commendatum ampliſſimi nominis Cardinales obtinuerunt, & quo optimus idemque omnium maximus Pontifex Patruus tuus CLEMENS XI. *adhuc potitur, & perquam liberaliter Pontificia benevolentia dignatur.*

Ut autem, VIR NOBILISSIME, *a religione virtutum excellentiſſima exordium ducam, ad quam præcipuo amore colendam te majores bene ac ſapienter inſtituerunt, eam adeo tibi cordi eſſe animadverti, ut ad*

pueros religioſis Chriſtianæ fidei rudimentis in Urbe informandos omnem te impendere curam nemo ſine admiratione ſuſpiciat. Omnes enim ſuſpicimus te unum complecti quicquid hominem ad veræ laudis faſtigium perducit. Hinc præter religionem doctrinam tuam miramur, quæ ſane quanta ſit & quanti ponderis ſatis urbs Roma teſtatur, quæ te in primo ætatis flore incredibili exſultatione conſpexit coram auguſtiſſimo Purpuratorum cœtu theologicam facultatem acerrime propugnantem, teque vidit

in literariis exercitationibus ingenti admodum gratulatione, ſummaque ingenii elegantia jamdudum ſapientiſſime verſari, unde quantum per te oratoriæ acceſſerit laudi, adhuc Vaticanæ, & Capitolinæ perſonant ædes. Quæ vero tua in hoc ampliſſimo honoris gradu animi moderatio, quem tibi celſiorem parit cum Magno Pontifice arctiſſima ſanguinis neceſſitudo, a nemine poteſt pro dignitate ſatis laudari. Quæ ſane virtus nedum tibi uni inclyta laus eſt, HANNIBAL ILLUSTRISSIME, *ſed*

etiam communis optimo Parenti tuo, ac nobiliſsimis Adoleſcentibus Fratribus tuis, in quibus homines ea paſsim commendant, quæ tamen imitari vix poſſunt. Huic velut individuæ comites adhærent ſingularis illa in omne genus hominum benevolentia, vultus ſerenitas ad hilaritatem compoſiti, & admirabilis morum facilitas, unde gentium animos tibi ſuaviter devinxiſti. Neque enim eſt obſcurum, ſed conſtanti omnium voce ac unanimi prædicatione concelebratum tuas laudes ad amplitudinem

tendere; nihil quippe vulgare cogitas, nihil humile, nihil anguſtum: excelſa omnia, & præclara, plena virtutis & gloriæ a te præſtolamur: omnia te decet tua dignitate potius quam communibus exemplis metiri, quum te ſuis illecebris virtus ipſa jampridem traxerit ad verum decus.

Solebant Romanorum quique nobiliſsimi in prima ædium parte *locare cera expreſſos cum titulis ſuis majorum vultus, ut* eorum virtutes poſteri non ſolum legerent, ſed etiam imitarentur. *Ego vero*, PRAESUL

Valer. Max. lib.5. cap.8.

ILLUSTRISSIME, *majorum nullius, qui fato ceſſerint, cera expreſſum vultum tibi ad exemplum memoriæ exhibendum duxi, ſed vivam unius imaginem, qui omnes majores tuos magnitudine & ſplendore, ac omni virtutum ornamento longe antecellit. Tibi nanque ante oculos perpetuo obverſatur ſapientiſsimi Pontificis Patrui tui nunquam interitura gloria, quæ ſatis indolem tuam generoſo calcare ad optimam laudem accendit. De Pontifice loquor omnium præſtantiſſimo, qui in æſtimandis homi-*

num ingeniis ac moribus judicio eſt præditus acerrimo, & quem Deus in tanta Catholici orbis perturbatione, ac difficillimis hiſce temporibus, quibus luctuoſa rerum facies Chriſtianæ reipublicæ extrema quæque minatur, Romanæ eccleſiæ præficere voluit, ut omnibus malis prudentia ſua mederetur, nosque ab ingruentibus periculis ereptos ad ſummam tranquillitatem traduceret. Hanc ergo, HANNIBAL CLARISSIME, *unius majoris tui vivam imaginem tibi ob oculos pono: quæ ſi alte*

animo tuo infixa erit, hac duce, nil prorſus dubito, quin tua decora novis in dies acceſsionibus augeas, & ſpem, quam de te orbis concepit, non ſuſtineas modo, ſed longiſsime ſuperes. Hinc plane materiem habes ad gloriam; magna petat animus tuus, ampla, illuſtria, quo te Patruus vocat, quo te virtus invitat.

Quamobrem auguror, VIR ORNATISSIME, *quum vota gentium expleta fuerint, bonis artibus & honeſtis diſciplinis pro tuo in illas, quarum decus es, amore maximo, patrocinium*

nunquam deſuturum. Nemo enim jam non videt Magnum Patruum, qui tibi viam ſternit ad laudem, pene ab omnibus deſerta literarum patrocinia ſuſcepiſſe, & deplorata nobilium doctrinarum ſtudia, quæ nobis vel hominum aliquando eripuit ſegnities, vel hodie temporum injuria diſſipavit, ad antiquum ſplendorem nervis omnibus revocare: hoc ſi etiam ipſe præſtabis, erit ſane opus te dignum, dignum ampliſſimo Præſule, CLEMENTIS XI. *Nepote digniſsimum. Habent igitur boni omnes unde præſi-*

dium ſperent & decus, qui te ad egregia quæque præſtanda natum intelligunt. At quidem majora in poſterum ſibi capere ornamenta optimæ artes exſpectant, quum hac ætate procellæ horribiles, a quibus Romana eccleſia multis ab hinc annis jactatur, & ingentia bella, quæ nobiliſſimas terrarum provincias diro vulnere affligunt, earum prope exercitium obruerit: ſentiunt tamen periculum, Patruo tuo Mœcenate, diminutum, a quo, quantum vix patitur temporum difficultas, exſulantes, & prope dixerim deſpectæ

peramanter excipiuntur, & beneficentia ſublevantur.

Perge itaque, PRAESUL ILLUSTRISSIME, *Patrui exemplo, qui in omni laude omnique virtute tantus eſt, literatorum votis incumbere: en habes unde tua virtus parta vigiliis, & bene agendi conſuetudine confirmata ad immortalitatem contendat: facile enim quid de te orbis ſperare debeat, agnoſcit, qui ita ſemper vixiſti, ut omnia ad ſolam honeſtatem referres. Verum ut epiſtolæ compendium faciam, ego omnino futurum ſpero te bonis ar-*

tibus quandiu vixeris ſubſidio fore & ornamento. Deum interim precor, ut cum diuturna laude maximi Pontificis gloriam amplitudinemque (ſi vero acceſſionem aliquam admittunt) quocunque modo illuſtres & augeas, dum pro tua, pro Patrui, tuæque nobiliſſimæ familiæ ſalute, & incrementis perpetua vota ſuſcipiam.

Dabam Romæ tertio idus Majas anni MDCCVII.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Vicesgerens.

APPROBATIO

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini

ULYSSIS JOSEPHI GOZZADINI

Archiepiſcopi Theodoſienſis,

Solii Pontificii Aſsiſtentis Epiſcopi,

Supremæ Inquiſitionis adverſus hæreſes Conſultoris,

Et Brevium ad Principes a ſecretis.

EX commiſſione Reverendiſſimi Patris ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtri opuſculum, quod inſcribitur: *Monaſterii ſanctæ Mariæ & ſanctorum Joannis & Pauli de Caſæmario brevis hiſtoria, ſtudio & opera Philippi Rondinini digeſta & illuſtrata*, ego infraſcriptus perlegi, in quo adeo non inveni quidquam, quod obeſſe poſſit, quo minus in lucem edatur, ut potius adverterim omnia

 enu-

enucleate, & ſingulari eruditione, ac apte prorſus ad excitandam erga ſacrum & antiquum locum venerationem in hoc tractatu explicari. In quorum fidem hic me ſubſcripſi tertio nonas Aprilis M DCC VII.

Ulyſſes Joſeph Archiepiſc. Theodoſien.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius ſacri Apoſtolici Palatii Magiſter Ordinis Prædicatorum.

BENEVOLO LECTORI

Philippus Rondininus S. D.

ACcipe, benevole lector, brevem hanc, quam tibi exhibeo, de Caſæmarii Monaſterio Hiſtoriam, hinc & illinc petitam, quæ ad vulgandam nobiliſſimi argumenti dignitatem prodit in lucem. Ea, qua potui, diligentia opuſculum digeſſi, in capita diſtribui, & hiſtoricis documentis locupletavi. Inter cetera, quæ mihi ad libellum conflandum ſummo fuerunt præſidio, notam merentur duo præſtantiſſimi MSS. codices: alter nimirum antiquis literis in membrana exaratus, ubi quamplurima Pontificum, Impera-

torum, Regumque diplomata & privilegia, aliaque pro monaſterio exſcripta ſunt inſtrumenta, quem ſummi Principis benignitate cum aliis ſcriptis mecum humaniſſime communicatum ſedulo evolvi: alter complectitur Acta viſitationis abbatiæ, quam habuit anno ſexcenteſimo nonageſimoprimo ſupra milleſimum, jubente Johanne Franciſco Albano ſpectatæ virtutis & ampliſſimi nominis Cardinale, hodie in Apoſtolica ſede CLEMENTE XI. Pontifice optimo, vir illuſtriſſimus, idemque literaria laude clariſſimus Johannes Chriſtophorus Battellus Pontificii cubiculi a ſecretis, domeſticus bibliothecarius, & latinis epiſtolis ſcribendis præfectus; eundemque mihi eleganti manu ſcriptum, ea, qua præditus eſt comitate, libenter exhibuit. Ibi vir doctus plura, quæ ſibi apud au-

auctores obvia fuerunt, monaſterii monumenta diſerte collegit, necnon veteris ædificii molem, & auguſtiſſimæ baſilicæ partes accuratiſſime deſignavit, quas ego, ne alienam meſſem invadere videar, in libello ſuismet verbis deſcribendas æquum putavi.

Appendicis loco nonnulla e laudato Caſæmarienſi chartario deprompta nunc primum vulgavi diplomata, pluraque admodum vulgaſſem tum ab hoc codice, tum e Vaticano archivo mutuata, & forſan aliquibus opportune notationibus illuſtraſſem, ceteraque in compendium cum notis chronologicis redegiſſem, niſi adverſa valetudine affectus, ſtudia intermittere, & ſanitati reparandæ vacare debuiſſem. Interim tibi amplius proficiendi, lector benevole, deſiderium excipe, & ſi in poſterum ſuppetant vires; in hujus argumentum alia præſto-

ſtolare: lucubrationem hanc meam qualemcunque, ut æqua digneris fronte, pro tua benevolentia gratam habeas, & mendis, quæ lapſa fuerint, ignoſcas etiam atque etiam rogo. Vale.

INDEX CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.

Monaſterii ſitus, & nomen pag. 1

CAPUT II.

Initia, & profectus monaſterii 4

CAPUT III.

Monaſterii dignitas, & privilegia 19

CAPUT IV.

Cœnobium ſancti Dominici Sorani Caſæmarii monaſterio adjunctum, ejusque eccleſia 38

CAPUT V.

Monaſterii calamitates & infortunia 56

CAPUT VI.

Divorum reliquiæ, quæ ad Caſæmarii monaſterium pertinent 66

CAPUT VII.

Elenchus eccleſiarum, quæ monaſterio ſubditæ ſunt 68

CAPUT VIII.

Bona, & jura monaſterii 71

CAPUT IX.

Præſens forma monaſterii deſignatur 77

CAPUT X.

Præſens forma baſilicæ deſcribitur 79

CAPUT XI.

Deſcribuntur binæ aliæ eccleſiæ circa baſilicam poſitæ 87

CAPUT XII.

Priorum abbatum ſeries, qui monaſterium rexerunt 90

CAPUT XIII.

Abbates commendatarii enumerantur, qui Caſæmarii monaſterio præfuerunt 97

Appendix veterum Actorum 125

MONASTERII SANCTAE MARIAE
ET SANCTORUM
JOHANNIS ET PAULI
DE
CASAEMARIO
Brevis hiſtoria.

CAPUT PRIMUM.

Monaſterii ſitus, & nomen.

INter vetera nobilioraque Italiæ cœnobia ampliſſimum Caſæmarii monaſterium magnum & ſingulare ubique gentium obtinet nomen. Hujus clariſſima monumenta etſi apud optimæ notæ ſcriptores publicis literis ad poſterorum documentum conſignata fuerint, meum tamen eſt argumentum in unum ſparſa colligere,

eaque in ordinem digerere, iterumque in hominum memoriam evulgata traducere.

Ejus ſitus amœnitatem & formam elegantiſſime deſcripſit vir illuſtriſſimus idemque lectiſſima præditus eruditione Johannes Chriſtophorus Battellus Pontificis ſuper omnes maximi Clementis XI. a ſecretis ſacri cubiculi, & domeſticus ejusdem bibliothecarius in MS. codice actorum viſitationis monaſterii, quam habuit anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo nonageſimoprimo, ſanctiſſimo Principe jubente, quem paullo ante immortalis memoriæ Alexander VIII. omnium votis dederat Cardinalem, & monaſterio commendatarium præfecerat: [Inſigne, inquit, ac antiquiſſimum Caſæmarii cœnobium in agro Verulano a civitate tribus paſſuum millibus conditum eſt. Superato ſiquidem, qui medius interjacet, colle oleis, vitibus, aliisque pomiferis arboribus ad copiam & amœnitatem conſito, ampla ſed inæqualis planities apparet vini frumentique ferax, quam in theatri formam colles & montes undique coronant. In hujus fere medio monaſterium aſſurgit, qua fluviolus Amaſena planitiem ſecans ejusdem muros ad occidentem propemodum lambit. Ab ſeptentrione editiſſimos Triſulti montes ſpectat, inter quorum latebras inſtituto opportunas ſilentio nobilis Carthuſianorum ædes ſancti Bartholomæi nomine deliteſcit. Ab oriente liberior patet aſpectus, & melior ſcena aperitur. Hinc enim lon-

longior Appenninorum apparatus, quorum juga perenni fere nive conſperſa ſunt, illinc mitior atque jucundior adjacentium collium tractus, quorum dorſo quamplurima caſtra impoſita circumſpiciuntur, peramœnum intuentibus ſpectaculum exhibent. Ad meridiem arcem Montis ſancti Johannis divi Thomæ Aquinatis cuſtodia nobilitatam reſpicit. Ad occidentem brevior & injucundus aſpectus proximorum collium obice intercluditur. Planities ipſa, cujus non exiguam partem monaſterium amplo murorum ambitu occupat & exornat, Verulanæ civitatis, Babuci, Montis ſancti Johannis, & Inſulæ Soræ territoriorum finibus circumſcribitur]. Hucuſque ſapientiſſimus Battellus.

Verum cœnobium hocce ideo Caſæmarii nomine dictum fertur, quia, ut tradit Bernardus Clavellus in libro primo de veteri Arpino, in loco exſtructum eſt, ubi olim Caii Marii Arpinatis Romani conſulis domum in deliciis ſtetiſſe nonnulli prodiderunt, cujus adhuc apud Arpinum quædam ſuperſunt veſtigia. Locum ipſum inter gentilitatis errores Marti ſacrum, ejusque ſimulacro, & prænobili templo religioſum fuiſſe, ſatis apud auctores compertum eſt, qui de hoc monaſterio ſcripſerunt.

CAPUT II.

Initia, & profectus monaſterii.

MONASTERII hujus initia ex antiquo codice manu exarato Cardinalis Baronius ad annum Chriſti milleſimum triceſimum his verbis palam educit: „ Anno ab incarnatione Domini no-
„ ſtri Jeſu Chriſti milleſimo triceſimoſexto, indictio-
„ ne quarta erant in civitate Verulana quidam boni
„ meriti clerici, qui ſervantes præcepta Dominica,
„ divinaque judicia meditantes, ac dicentes: Væ no-
„ bis, qui nomine clericatus habentes officium, vi-
„ tam neque canonicam, neque monaſticam duci-
„ mus! Quid de nobis erit, quid in extremo dicturi
„ ſumus examine? ad cujus auxilium confugiemus?
„ faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis,
„ ut quum ab hac vita migraverimus, recipiant nos
„ in æterna tabernacula. Talia animo volventes
„ atque dicentes, adjunctis quibuſdam laicis fideli-
„ bus ejuſdem civitatis, venerunt ad fundum, qui
„ dicitur *Caſæmarii* in territorio Verulano, viden-
„ teſque ibi antiqua ædificia, ubi dicitur templum
„ fuiſſe Martis diſtans a civitate milliaribus tribus
„ cum dimidio, ibidem commorari cœperunt in eo-
„ dem loco, & adjuvante miſericordia Dei, eccle-
„ ſiam in honorem ſanctorum Johannis & Pauli

con-

„ condiderunt: & non multum poſt quatuor ex „ ipſis, ſcilicet Benedictus presbyter, Johannes „ presbyter, Urſus presbyter, & Azzo presbyter „ euntes ad venerabilem virum Johannem abba„ tem ſancti Dominici, ſuſceperunt ab eo habitum „ ſanctæ religionis, indeque in locum jam dictum „ redeuntes, abbatem unum de ſuis ſibi elegerunt „ Benedictum virum religioſum, qui fuit natus in „ dicta civitate Verulana, & ſub eo in dicto loco „ Chriſto Domino ſervierunt. Hactenus verba codicis apud Baronium.

Itaque Caſæmarii cœnobium ſæculo ab ejus exordio circiter elapſo, Eugenii III. Pontificis opera, ut opinio eſt, Ciſtercienſe inſtitutum arripuit, atque, uti obſervat Angelus Manriquez in annalibus ordinis Ciſtercienſis ad annum centeſimum quadrageſimum ſupra milleſimum capite decimo, jura & magiſtros ex Claræ-vallenſi in Gallia inſigni monaſterio ſuſcepit. Et revera quum adhuc ſanctus abbas Bernardus in vivis ageret, quem illuc adiiſſe conſtat, ejus inſtitutionis regulam amplexum fuiſſe ſatis palam facit Johannis monachi viri ſanctiſſimi Caſæmarienſis alumni & abbatis epiſtola eidem inſcripta inter illas ſancti abbatis juxta nuperrimam doctiſſimi Johannis Mabillonii editionem trecenteſima octogeſimaſexta, & juxta veterem Pariſienſem trecenteſima triceſimatertia, ubi Bernardum ſolatur de infelici Jeroſolymitanæ expeditionis eventu,

cujus

cujus adornandæ ipſe auctor in primis fuerat, eamque hic publici juris iterum facere haud diſſonum argumento putavi:

Dilecto patri ac venerabili domino ſuo Bernardo Dei voluntate ac gratia Claræ-vallis abbati reverendiſſimo.

Frater Johannes miniſter ſuus qualiscunque Caſæmarii abbas feliciter currere, ac felicius Chriſti pietatem conſummare.

MEmor dulcedinis ac familiaritatis, quam mihi indigno pietas veſtra quondam exhibuit, aperire cogitationes mei cordis paternitati veſtræ quaſi coram poſitus præſumo, veſtra magis de manſuetudine confiſus, quam de offenſa ſuſpectus. Spero nanque affectionem ac dilectionem, quam erga vos habeo, pietatem veſtram non latere, & ſi aliquid etiam ſtultum dicerem, confido vos benigne ac manſuete quaſi patrem filio ignoſcere. Dictum eſt mihi, pater chariſſime, quod de hac re, quæ non ita proſpere, ut forſitan volebatis, contigit (de via vero Jeroſolymæ loquor) multum triſtamini: eo quod eccleſia Dei vel gloria non ſicut deſiderabatis, accrevit. Quapropter quod mihi pro hoc diu cogitanti Deus (ut credo) in corde miſit, vobis humiliter ſuggero, nimirum perpendens quod ſæpe parvo cuilibet Domi-

Dominus aliquid oſtendit, quod alicui magno & multis donis repleto videre nequaquam concedit, ſicut Moyſi ſancto facie ad faciem cum Deo loquenti, Jethro alienigena conſilium dedit. Videtur itaque mihi, quod omnipotens Deus de hac via multum fructum fecit, non tamen eo ordine, quo ipſi viatores arbitrantur: ſiquidem ſi hoc quod cœperant, ſicut decet Chriſtianos, juſte ac religioſe proſequi vellent, Dominus cum eis eſſet, ac magnum fructum per eos perfeciſſet. Sed quoniam ipſi ad mala ſunt devoluti, & hoc nequaquam Dominum, qui auctor viæ fuerat, a principio latere potuit, ut ſua providentia in ſui diſpoſitione non falleretur, malitiam eorum in ſuam convertit clementiam, & immiſit eis perſequutiones & afflictiones, quibus purgati ad regnum pervenire poſſent. Denique confeſſi ſunt nobis qui redibant, quod vidiſſent multos ibi morientes, qui libenter ſe mori dicebant, neque velle reverti, ne amplius in peccatis reciderent. Sed ne in dubium veniat quod dico, quaſi in confeſſione patri meo ſpirituali aperio: quod patroni loci noſtri beati Johannes & Paulus *ſæpius nos viſitare dignati ſunt, quos ego ſuper hac re interrogari feci, & hujusmodi ſententiam reſponderunt: dicebantque multitudinem angelorum, qui ceciderant, de illis, qui ibi mortui ſunt, eſſe reſtauratam. Hoc autem ſcitote, quod magnam veſtri memoriam habuerunt, finemque veſtrum cito venturum prædixerunt. Quia igitur bene res, etſi*

non

non ſecundum hominum deſiderium, tamen ſecundum Dei propoſitum evenit, veſtræ erit prudentiæ in ipſo de hac re conſolarì, cujus ſolius gloriam quæritis & deſideratis. Idcirco nanque vobis & exhortandi & ſperandi gratiam in hoc negotio dedit, quia bonum, quod inde facturus erat, prævidit: ipſe igitur curſum veſtrum feliciter compleat, nosque vobiſcum in ſua gloria conſtituat.

Præter alia nota dignum eſt in hac epiſtola, ubi Johannes admonet ſanctos martyres Johannem & Paulum ſanctiſſimi abbatis proximam mortem prænunciaſſe, quam revera paullo poſt eveniſſe animadvertit Baronius ad annum milleſimum centeſimum undequinquageſimum. Ceterum Johannes Caſæmarii abbas in menologio Ciſtercienſi a Chryſoſtomo Henriquez notationibus illuſtrato quartodecimo kalendarum Martii beati inſcribitur titulo, & ſummopere vitæ ſanctimonia commendatur: „ In „ Italia (menologii ſunt verba) beatus Johannes „ abbas Caſæmarii ſancti Bernardi diſcipulus divi„ nis revelationibus, cœleſtibus viſionibus, & ſpi„ ritu prophetico clarus, qui ejusdem melliflui pa„ tris obitum prædixit, eumque mœrentem, quod „ expeditio Jeroſolymitana male ceſſiſſet, ac ideo „ linguis detrahentibus vexatum conſolatus eſt, & „ tandem ipſe cum magna pietatis opinione, & „ præclara virtutum corona redimitus ex hac vita feli-

„ feliciter migravit. Hactenus menologium, cui adhærent Barnabas de Monte-albo in chronicis apud Henriquez loco ſuperius citato, necnon Cardinalis Baronius ad præfatum annum; qui undeviginti ante annos ſcripſerat MS. codicis archivi monaſterii teſtimonio fretus, majores ſuos plures eidem donationes feciſſe: primo ſcilicet Gregorium de Barono anno milleſimo centeſimo nonageſimoſecundo indictione ſecunda, Celeſtino III. Pontifice, die nona menſis Novembris, quum monaſterio Girardus abbas præeſſet: deinde Leonardum item de Barono, Bonifacio VIII. apoſtolicam ſedem adminiſtrante, die ſecunda Maii indictione nona, anno ſupra milleſimum ducenteſimo nonageſimoſexto: *Vidimus* (ait) *& gaviſi ſumus anteceſſores noſtros his pietatis inſignibus reperiſſe nobilitatos. Porro eandem ipſam noſtram familiam* (ſequitur) *ita uſque ad noſtram ætatem de Barono dictam nos primi mutavimus, illud* de Barono *cognomentum derivantes* in Baronium *more Romano: ſed abſit, ut præterquam in Domino gloriemur, in ipſa vera nobilitate, quam per adoptionem in filiorum Dei familiam cooptati, ſumus feliciter conſequuti.*

Quantum hinc fuerit monaſterii hujus celebre nomen & ornamentum, ex eo ſatis perſpectum habui, quod ad ejus monachos, velut ad divina oracula principes, Imperatores, quin & ipſos Pontifices conveniſſe auctorum plures literis tradiderunt.

Sæpius nanque, ut notat Ferdinandus Ughellus in tomo primo Italiæ ſacræ de epiſcopis Verulanis, Paſchalis I I. illuc advenit, Eugenius I I I., Lucius III., Innocentius III., Honorius III., & Gregorius IX. itidem advenerunt.

Porro Ciſtercienſis diſciplina, quæ feraciſſimo ſanctitatis proventu ubique florebat, in Caſæmarii agro plantata uberrimas virtutum omnium & euangelicæ perfectionis fruges mirifice germinavit. Hinc cœnobium ad purioris regulæ obſervantiam temperatum innumerabiles edidit, atque inſignes ſapientia, morumque integritate alumnos. Ex horum enim ſacro cœtu, antequam rigidiora Ciſtercienſis inſtituti amplexum fuiſſet præcepta, Paſchalis II. Pontifex anno ultra milleſimum centeſimoſexto Auguſtinum abbatem, quem Verulanus clerus elegerat epiſcopum, Verulis conſecravit, eique privilegia, quibus Verulana eccleſia potitur, ampliſſime confirmavit: Pontificis diploma datum legitur Ceperani *per manum Leonis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi, ſecundo nonas Septembris, Pontificatus anno decimo*. Is deinde quum annos quinque Verulanæ eccleſiæ epiſcopus præfuiſſet, fato ceſſit, & in Caſæmarii baſilica ſepulturam accepit. Poſtquam vero, elapſo plurium annorum curriculo, Ciſtercienſe inſtitutum arripuit, Alexander III. Pontifex Fromundum ſeu Frajamundum ſingularis doctrinæ, incorruptæ fidei, & invictæ conſtantiæ virum, quem poſtmodum impius

Impe-

Imperator Fridericus Ænobarbus varia compulit in exſilia, Verulana item infula decoravit, eundemque Verulis cum Rodulpho monacho & monaſterii procuratore ad Ferentinatem eccleſiam aſſumpto ſuis manibus ſacro chriſmate inunxit. Huic Alexander decretalem epiſtolam ad rubricam *de renunciatione* Cap. *Ex tranſmiſſa* in libro primo decretalium direxit. Interfuit Frajamundus concilio Lateranenſi, quod Alexander indixit, quo celebrato, paullo poſt vita exemptus eſt, & in Caſæmarii baſilica tumulo traditus. Tres quoque Ferentinatis urbis antiſtites Caſæmarii cœnobium produxit, Auguſtinum, Placidum, & Rodulphum, quem alii *Adulphum* vocant, necnon Lucam natione Campanum archiepiſcopum Conſentinum. Is primum Caſæmarii alumnus, ubi prioris munere functus eſt, deinde abbas monaſterii Sambucinæ Claræ-vallis in Calabria, quod anno milleſimo centeſimo ſexageſimo conditum fuit, & Caſæmario velut patri additum, unde monachos & abbatem ſuſcepit. Joachimum Curatii abbatem ſacro vaticinio clariſſimum maxime coluit, quos inter ob morum ſimilitudinem arctiſſima interceſſit neceſſitudo: ejus ſtudiis adjutor fuit, & in laboribus aſſiduus comes, ſub eaque diſciplina admodum profecit. Commendato enim Curatii monaſterio Joachimus, ſacræ ſcripturæ myſteriis vacaturus, Caſæmarium divertit, ubi ſuper apocalypſim, & pſalterium commentarios luculentiſſime ſcripſit, ibique quinque

 libros

libros egregii operis de concordia utriusque teſtamenti, hortante Lucio III. Pontifice, qui Verulis degebat, abſolvit; eique in omnibus Lucas ſuam operam ſedulo dedit. Eum Henricus V. Imperator, & Conſtantia Auguſta ejus uxor, aliique principes tanquam virum prudentia & doctrina celeberrimum ſingulari benevolentia proſequuti ſunt: & apud Pontifices, præcipue Innocentium IV., ſummo in honore fuit, a quo in graviſſimis eccleſiæ negotiis implicitus, & potiſſimum in celebri illa legatione, quam habuit anno undeducenteſimo ſupra milleſimum cum Laurentio Syracuſano epiſcopo in Sicilia, & Calabria, ut ſua prædicatione populos excitarent, & in hoſtes Chriſtianæ religionis cruciatam indicerent, ſummo ſtudio & labore ſibi commiſſam provinciam implevit. Hinc quum annos ultra viginti Conſentinam eccleſiam optime rexiſſet, cum maxima ſanctitatis fama huic ſæculo valedixit, & in Sambucinæ templo fuit ſepulcro donatus: eumque auctorum nonnulli inter beatos ordinis Ciſtercienſis enumerant. Joachimi & Lucæ æqualis fuit Adam Perſeniæ abbas ejusdem ordinis monachus, vir in divinis ſcripturis, teſte Johanne Trithemio in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis, jugi exercitatione doctus, & veterum lectione dives, atque in ſæcularium literarum ſcientia ſufficienter eruditus, in declamandis homiliis celeberrimæ opinionis: cujus ſermones in laudem Deiparæ Virginis diligenter ſcriptos Hippolytus

lytus Marraccius vir elegantis doctrinæ e Caſæmarii bibliotheca depromptos primum in lucem emiſit, ubi in vetuſto MS. codice membranaceo cum aliis antiquorum patrum literariis monumentis latebant.

Sequitur Alachrinus ab Innocentio III., ut tradit Philippus Seguinus in tractatu de monachis ordinis Ciſtercienſis, qui ad epiſcopalem infulam aſſumpti ſunt, capite quarto apud Chryſoſtomum Henriquez in notationibus menologio Ciſtercienſi nonis Februarii, in partibus Italiæ propter multiplicem literarum eruditionem, rerumque agendarum peritiam epiſcopus ordinatus, & ab Honorio III. in Teutoniam miſſus, cujus tamen epiſcopalem ſedem nullus ex auctoribus, qui de illo meminerunt, certo deſignant: aliquos tantum legere licuit, qui epiſcopum *Artuſienſem* vocant, alii *Auraſienſem*, quemadmodum appellavit Caſpar Jongelinus de antiquitatibus cœnobiorum ordinis Ciſtercienſis ſcriptor benemeritus in libro ſeptimo notitiæ abbatiarum ejusdem ordinis, quem tamen ego *Auruncienſem* ex *Aurunca* urbe, hodie *Sueſſa* in provincia Terræ Laboris regni Neapolitani, ſeu potius *Aſturienſem* dixerim ex *Aſtura* vetere oppido Latii in Volſcis, hodie ditionis eccleſiaſticæ in Campania Romana prope Pontinas paludes, quod olim epiſcopali dignitate fuerit ornatum: hujus enim celebris adhuc viget memoria ob necem Tullio Ciceroni a Marci Antonii militibus ibidem illatam, & ob Conradini

Sue-

Sueviæ ducis Friderici II. Imperatoris nepotis capturam, qui adverſo caſu ibi fuit detectus: eundemque Alachrinum ſancto Dominico ordinis Prædicatorum fundatori, quum Romæ verſaretur, perfamiliarem fuiſſe ſatis iis compertum eſt, qui Henriquez in præfatis notationibus Ciſtercienſi menologio conſuluerunt, ubi nonis Januarii beati nomine inſcribitur, hisque laudibus cumulatur: „ In Italia beatus Alachrinus epiſcopus, qui in Caſæmario monaſticæ „ diſciplinæ rudimentis ſanctiſſime inſtructus, inde „ a Pontifice ſummo evocatus, & ſpiritu apoſtolico „ plenus, velut alter Elias falſos prophetas, hæreticos ſcilicet in ore gladii, quod eſt verbum Dei „ potenter exterminavit, & Catholicam veritatem „ ſtabilivit. De eo ſimiliter diſerte ſcripſit Barnabas de Monte-albo in libro ſecundo capite triceſimoprimo, & Vincentius Bellovacenſis epiſcopus in libro ſpeculi majoris hiſtorialis triceſimo capite decimo ſupra centeſimum, ibique memorat Alachrinum Caſæmarii priorem Bononiæ cum ſancto Dominico ſecretam & conſolatoriam de divinis ac cœleſtis vitæ deliciis collationem habuiſſe: etenim illi inter alia familiari captus neceſſitudine hæc dixiſſe teſtatur: *Fateor tibi*, inquit, *quod nulli adhuc expoſui*, *nec tu*, *quandiu vixero*, *revelabis*, *quod nunquam a Deo in hac vita aliquid petii*, *quod non conſequerer juxta votum*. Tunc autem Bononiæ quum eſſet clariſſimæ notæ magiſter (teſte quoque

que Bellovacenſi) Conradus Teutonicus, cujus ingreſſum ad ordinem ſummopere fratres optabant, prior Alachrinus ſimulac mirabile ac divinum ſancti patris privilegium audivit: *Pete ergo* (ait) *pater, ut det tibi magiſtrum Conradum ad ordinem, cujus fratres introitum tam ardenter flagitare videntur.* At ipſe: *Rem* (inquit) *frater bene difficilem poſtulaſti; ſi tamen volueris in hac nocte orationi mecum inſiſtere, confido in Domino, quod nos a petitionis noſtræ deſiderio non fraudabit.* Quum itaque fratres, abſoluto, ut moris erat, completorio, ad quieſcendum pergerent, ſanctus pater in eccleſia, adſtante & vidente Alachrino, remanſit, atque orationi tota nocte vacavit. Peractis demum vigiliis, & die illuceſcente, fratribus in eccleſiam pro divina pſalmodia convenientibus, quum cantor incepiſſet: *Jam lucis orto ſydere*, ecce magiſter Conradus, Alachrino admirante, ſubito accedens, & pedibus beati patris procumbens, habitum ordinis poſtulavit, & juxta votum accepit.

Cœnobii quoque abbas fuit Johannes vir ampliſſimi nominis, cui Innocentius III. ſuam epiſtolam ad rubricam *de probationibus* Cap. *In præſentia* libro ſecundo decretalium inſcripſit. Is, ut tradit Abraham Bzovius in annalibus ad annum milleſimum ducenteſimumtertium, ad Carolum-Johannem magnum Bulguriæ principem ejusdem Pontificis Innocentii nomine legatus adivit; in cujus manibus fidem

fidem Romanæ eccleſiæ juramento ſpopondit, ibique archiepiſcopum Zagorenſem archiepiſcopali pallio donavit: necnon ad Philippum Gallorum, & Johannem Anglorum reges item Pontificis legatus acceſſit ad componenda, quæ inter illos fervebant, diſſidia ſuper comitatum Pictavenſem, quem Philippus contra fidem vi armorum occupaverat; & Meldis, convocatis Galliæ præſulibus, concilium ſequenti anno auctoritate apoſtolica celebravit. In Anglia vero, quum illuc repeteret, omnem adhibuit operam, ut rex Johannes dotem ſuam reginæ viduæ traderet, quæ a Richardo deceſſore ſine liberis relicta fuit, quæque ſuis orbata bonis ſumma egeſtate laborabat. Idemque apud illum enixe ſtetit, ut archiepiſcopum Dublinienſem, qui dudum a ſua ſede regis indignationem declinans exſulabat, ad illam pacato animo revocaret.

Claruit inſuper inferiori ſæculo alter inſignis famæ abbas, Girardus nomine, cujus opera, ut obſervat Manriquez ad annum milleſimum ducenteſimum triceſimumprimum capite primo, Gregorius IX. admodum uſus eſt ſuper graviſſimum Templariorum & Hoſpitalariorum negotium, quorum bona nullo jure Fridericus Cæſar invaſerat, ibique Manriquez Pontificis literas ad Fridericum vulgavit. Idem ſuperius ſcripſerat ad annum milleſimum centeſimum octogeſimumprimum capite quinto, Caſæmarii abbatem, abbate monaſterii Foſſæ-novæ comite,

comite, & alio, cujus ignoratur monaſterium, e generali capitulo redeuntem ſancti Galgani clariſſimi confeſſoris, qui eremum prope Senas coluit, piæ morti divinitus adfuiſſe, eique ſacrum ordinis habitum tradidiſſe. Duo item epiſcopi interfuerunt Volaterranus & Meſſanenſis, ſimulque omnes ſacro corpori exſequiarum officia perſolverunt, & in loco ſepulcri Caſæmarii abbas ſacellum condidit, & monachos, ut ibi divina facerent, advocavit.

Præterea ex tabulis Vaticanis apud Ughellum in tomo primo de epiſcopis Soranis exploratum habeo, Caſæmarii abbatem (nomen obſcurum eſt) anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimoſeptimo a Sorano capitulo in antiſtitem electum fuiſſe, cujus tamen electionem Clemens IV. Pontifex ratam non habuit, & in ejus locum Soranæ eccleſiæ epiſcopum ſuffecit Petrum Gerram Ferentinatem patriæ ſuæ canonicum, & archidiaconum Eboracenſem, quem deinde a Nicolao III. ad Reatinam cathedram translatum, hinc in Sicilia Montis-regalis infula decoratum, demum Aquilejenſi patriarchatu donatum fuiſſe vetera monumenta teſtantur.

Lubet hic, ubi Caſæmarii abbates latiori calamo memoravi, abbatum aliquot ſeriem ſubjicere, é chronico Foſſæ-novæ depromptam, auctore Johanne de Ceccano, quod Ughellus in fine tomi primi Italiæ ſacræ typis mandavit:

„ Anno MLXXXVIII. indictione XI. Auguſtinus
„ fit abbas Caſæmarii.

„ Anno MCVI. indictione XIV. abbas Augu-
„ ſtinus epiſcopus factus eſt, & Johannes fit abbas
„ Caſæmarii.

„ Anno MCVIII. indictione I. obiit Johannes
„ abbas Caſæmarii, & Placidus fit abbas.

„ Anno MCX. indictione III. abbas Placidus
„ renunciavit abbatiam, qui fuit epiſcopus Feren-
„ tinus, & Amatus fit abbas.

„ Anno MCXVI. indictione IX. abbas Amatus
„ renunciavit abbatiam Caſæmarii, & Benedictus
„ fit abbas.

„ Anno MCXXIII. indictione I. Benedictus ab-
„ bas Caſæmarii renunciavit abbatiam, & Petrus
„ præpoſitus factus eſt abbas. Hæc in chronico.

Quum ergo Caſæmarii monaſterium tot undique literis & ſanctitate clariſſimos eccleſiæ dederit alumnos, ibique religioſæ vitæ inſtitutum admirabili exemplo vigeret, huc propterea ſpectat quod ex vetuſto codice Ughellus exſcripſit in tomo primo nuper citato de epiſcopis Verulanis: *Cur igitur de hoc ſacro cœnobio cum divo Hieronymo non exclamabimus? O deſertum Chriſti floribus vernans! O altitudo, in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi civitas magni regis exſtruitur! O eremus familiarius Deo gaudens! Si quis enim tunc ad*

ad Caſæmarii monaſterium confluxiſſet, paradiſo prorſus omnem illam eremum vidiſſet digniorem, & innumeros angelorum choros in corporibus fulgere mortalibus. Erat enim cernere toto præfato monaſterio diffuſum exercitum Chriſti, & admirabilem illum regium gregem, virtutumque cœleſtium converſationem in terris micantem; & ut breviter dicam: fuit hoc ſane cœnobium eccleſiæ Verulanæ columen, populi decus, omniſque boni fundamentum cum cœleſtibus pulchritudinibus elegantia propemodum certans. Sic apud Ughellum.

CAPUT III.

Monaſterii dignitas, & privilegia.

ITAQUE Caſæmarii monaſterium quum religioſæ familiæ ſanctitatis & doctrinæ fama ubique gentium inſigne nomen adeptum fuerit, illud proinde Romani Pontifices ſingulari dilectione proſequuti ſunt, ab iiſque ampliſſimis privilegiis meruit decorari. Primus fuit inter Pontifices, qui ejus dignitati atque ornamento proſpexit, Eugenius III. olim ſanctiſſimi abbatis Claræ-vallenſis alumnus, quo Catholicam eccleſiam adminiſtrante, Caſæmarii cœnobium arctiora Ciſtercienſis ordinis inſtituta ſuſcepiſſe tradunt: hic nanque Caſæmarii baſilicam anno centeſimo quinquageſimoprimo ſupra mille-

 ſimum

ſimum quarto kalendas Novembris ſollemni ritu dedicavit, eandemque Deiparæ virgini ſacram fecit; hactenus enim ſanctorum Johannis & Pauli duntaxat nomine vocabatur: „ Hoc anno (inquit chronicon Foſſæ-novæ apud Baronium) Eugenius „ Papa ivit caſtrum, & dedicavit eccleſiam mona„ ſterii Caſæmarii ordinis Ciſtercienſis in agro Ve„ rulano, & reverſus eſt Signiam: ejusque conſecrationi inter epiſcopos Leo Verulanæ eccleſiæ præſul interfuit.

Hanc inſuper baſilicam ſexaginta & ultra poſt annos ab Honorio III., quum cardinalem ageret titulo ſanctorum Johannis & Pauli, magnifico ſumptu, veteri deſtructa, inſtauratam, publico iterum apparatu conſecratam fuiſſe monumentum eſt in prælaudato chronico Foſſæ-novæ apud Ughellum: „ Anno (infit) milleſimo duценteſimo decimoſep„ timo Honorius Papa III. decimoſeptimo kalendas „ Octobris dedicavit eccleſiam Caſæmarii honori„ fice, ubi fuit ipſe cum omnibus cardinalibus, „ notariis, & tota ejus curia: interfuerunt huic „ dedicationi duo archiepiſcopi Hiſpanienſes, & „ undecim epiſcopi. Per gratiam Jeſu Chriſti tan„ ta fuit ciborum abundantia in pane, vino, & pi„ ſcibus, in caſeo, & in ovis, quod omnes ſine „ murmuratione plenarie receperunt cibaria in „ ſero & mane: plusquam mille equi inventi ſunt „ ad annonam. Quod idem luculenter teſtatur

Car-

Cardinalis Baronius ad annum milleſimum triceſimum: „ Honorius (ait) quum eſſet cardinalis no-
„ mine Cencius titulo ſanctorum Johannis & Pauli,
„ eam erexit eccleſiam, quæ & fuit conſummata
„ ſub Innocentio Papa prædeceſſore. Porro eidem
„ conſecrationi interfuiſſe leguntur epiſcopi cardi-
„ nales duo, presbyteri cardinales tres, diaconi
„ cardinales ſeptem, & epiſcopi alii decem.

Necnon de ejusdem baſilicæ conſecratione ipſum Honorium audire præſtat ad Raynerium abbatem & monachos Caſæmarii apud Baronium in hæc verba ſcribentem:

HONORIUS EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei

Dilectis filiis Raynerio abbati, & conventui Caſæmarii ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SI apud Hebræos olim, qui fuerunt tempore legis, templi conſecratio celebris habebatur (nam Salomon templum, quod David pater ædificare voluit, Domino auxiliante perficiens, conſecravit, fecitque tempore illo feſtivitatem celebrem, & omnis Jeroſolyma cum eodem) multo magis nunc ſollemnis debet haberi, quum per Jeſum Chriſtum data

data ſit gratia, & veritas patefacta. Quum ergo ad conſecrandam eccleſiam veſtram a vobis cum multa fuerimus ſupplicationis inſtantia invitati, quam in minori officio feceramus propriis ſumptibus fabricari, cum honorabili cœtu archiepiſcoporum, epiſcoporum, & cardinalium accedentes, eandem eccleſiam, accedente fidelium multitudine copioſa, ſeptimodecimo kalendas Octobris in perſona duximus propria conſecrandam. Hæc Honorius de Caſæmarii baſilicæ conſecratione, quam inſuper pluribus aliis cumulavit beneficiis. Primo enim hoc ipſo ſanxit diplomate, ut hæc conſecratio annua novendiali ſollemnitate celebraretur, & fideles illuc accedentes annuo quoque indulgentiarum theſauro locupletavit: *Ut ipſius eccleſiæ dedicatio veneranda* (ſequitur Honorius) *ſingulis annis devotius celebretur, univerſis, qui ad celebritatem conſecrationis ejusdem infra novem dies devote convenerint, de illius pietate confiſi, qui eſt peccatorum remiſſio, de injunctis ſibi pœnitentiis annum unum miſericorditer relaxamus.* Nobiliori deinde baſilicæ cultui & ornamento conſulens, monachis indulget, ut certis duntaxat anni diebus ſericis liceat veſtibus in altari, atque argenteis thuribulis uti: *Præterea ut appareat in ornatu, quod eccleſiam veſtram ſpecialiter intendimus honorare, utendi thuribulo, ac ſericis indumentis inter miſſarum ſollemnia diebus Dominicis & feſtivis liberam vobis concedimus*

facul-

facultatem. Cœnobium præterea peculiari vinculo Romanæ eccleſiæ unitum ſtatuit, & ſub apoſtolico ſuſcipit patrocinio; necnon ei benefacientibus ſalutem & gratiam exoptat, malefacientibus æternam damnationem minatur: *Licet autem monaſterium veſtrum juris & poteſtatis ſit ſedis apoſtolicæ ſpecialiter, quia tamen ex hoc juris ſcilicet proprietatis ipſius ſpecialius eſt effectum, nos illud ſub ſpeciali cura & principali tutela beati Petri ſuſcipimus cum omnibus rebus, quas in præſentiarum juſto titulo poſſidet, aut in futurum juſtis modis poterit adipiſci, ut ſecundum privilegia prædeceſſorum noſtrorum, & noſtra ſemper eas ſine contradictione poſſideat, gaudens ubique privilegiis & indulgentiis univerſis tam generalibus quam ſpecialibus a ſede apoſtolica impetratis, ſalvis ſtatutis concilii generalis. Cunctos igitur ipſius jura ſervantes apoſtolica benedictio proſequatur, eosque divina majeſtas juſtificet in præſenti, & glorificet in futuro. Turbatores autem ipſius, niſi commoniti reſipuerint, reos ſe divino judicio de perpetrata iniquitate cognoſcant, & muneris apoſtolicæ benedictionis expertes. Datum Laterani tertio nonas Februarii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

Simili hoc diplomate Alexander III. monaſterium ipſum donaverat, quod ſcilicet Frajamundi epiſcopi Verulani ſibi perchari precibus inclinatus ſub

ſub apoſtolica protectione ſuſceperat: ejus exemplar publici juris fecit Ughellus ibidem ut ſupra, quo Pontifex abbatem, monachos, & bona universa Caſæmarii privilegiis honorificentiſſimis decoravit; idemque hic iterum ſubjiciendum duxi:

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Gregorio abbati monaſterii ſanctorum Johannis & Pauli, quod dicitur Caſæmarii, ejusque fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

PIæ poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri, ut devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Quapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ad exemplar felicis memoriæ prædeceſſorum noſtrorum Calixti, Anaſtaſii, & Hadriani Romanorum Pontificum, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuimus, ut ordo monaſticus, qui ſecundum Deum,

Deum, & beati Benedicti regulam, & Ciſtercienſium fratrum inſtitutionem in eodem loco noſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem monaſterium in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: eccleſiam videlicet ſancti Archangeli, eccleſiam ſancti Hippolyti, & quicquid habetis in eccleſia ſancti Viti, quæ ſunt in territorio Verulanæ civitatis, eccleſiam ſancti Angeli in monte de Cor*neto, eccleſiam ſancti Salvatoris, & eccleſiam ſanctæ Mariæ de Regimento. In territorio montis ſancti Johannis eccleſiam ſancti Nicolai. In caſtro Babuci eccleſiam ſancti Johannis, & eccleſiam ſancti Silveſtri cum amphitheatro, quod vulgo* appretiatum *dicitur. In territorio Fruſinonenſi eccleſiam ſanctæ* Crucis. *In territorio Anagnino eccleſiam ſancti Vincentii juxta caſtrum Morrei in valle* Orbetana*, & eccleſiam ſancti Manni juxta caſtrum Caſtuli. In territorio Marſicano cum omnibus ſupradictarum eccleſiarum pertinentiis molendina ad arenulam, & illa, quæ habetis in territorio Caſtrenſi, ruſticos etiam, & hæreditates, quas in civitate*

Verulana, & caſtro Babuci, & montis ſancti Johannis quiete hactenus poſſediſſe videmus. Paſcua, & uſum ſilvarum in toto territorio Caſtrenſi, & montis Nigri paſcua, & uſum ſilvarum, & totam caſtellaturam ipſius montis Nigri, & ultra muros adjacentem centum paſſus, ſicut inde deſcendit ab utraque parte in rivum, & circuit verſus Aquilonem ipſum præcipitium montis, & terram in territorio ſupradicti montis, quantum duo aratra ſufficiunt laborare. Eccleſiam ſancti Benedicti cum omnibus pertinentiis ſuis, & eccleſiam ſancti Angeli de Meruleto cum capellis & pertinentiis ſuis; quæ omnia felicis memoriæ pater & prædeceſſor noſter Eugenius Papa vobis in eccleſiæ veſtræ dedicatione conceſſit, & Anaſtaſius, & Hadrianus Romani Pontifices ſuo privilegio roborarunt, vobis, veſtriſque ſucceſſoribus nihilominus confirmamus. Concambium quoque, quod cum Verulano epiſcopo, & canonicis ſancti Eraſmi, atque quondam Gregorio cuſtode de Caſtelli, quod Caſtrum nominatur, rationabiliter feciſtis, futuris temporibus inviolabiliter obſervari præcipimus. Statuimus præterea, ut monaſterium veſtrum, quod ad jus & proprietatem beati Petri pertinere dignoſcitur, nulli eccleſiaſticæ vel ſæculari perſonæ, præterquam Romano Pontifici debeat ſubjacere. Ad hoc advertentes ſtatuimus, ut nulli archiepiſcopo, vel epiſcopo liceat præfatum monaſterium interdicere, aut in vos abſque

abſque auctoritate Romani Pontificis interdicti vel excommunicationis ſententiam promulgare. Nihilominus etiam apoſtolica auctoritate probibemus, ut nullus quamlibet eccleſiam ad idem monaſterium pertinentem, quæ populum non babet, interdicto ſubjicere audeat, quo minus ſi quis fratrum veſtrorum ibidem ex devotione cantare voluerit, excluſis excommunicatis, & interdictis cantandi liberam babeat facultatem. Præterea per decreti bujus paginam duximus ſtatuendum, ut fratres veſtri in quocunque loco poſiti fuerint, ab omni ſæcularis ſervitii exactione, & ab omni gravamine mundanæ oppreſſionis ſint liberi & immunes. Sane laborum veſtrorum, quos propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſeu de nutrimentis animalium veſtrorum nullus a vobis decimas exigere præſumat. Paci quoque & tranquillitati veſtræ paterna proviſione providere volentes, auctoritate apoſtolica inbibemus, ne quis terminos ab eodem anteceſſore noſtro circa monaſterii veſtri ambitum conſtitutos, & quingentis paſſibus ab eo diſtantes transgredi audeat, nec infra furtum aut rapinam facere, bominem capere, vel aliquam violentiam exercere. Si autem fecerit, & ſecundo, tertiove commonitus ſatisfactionem congruam exbibere contempſerit, tanquam ſacrilegus judicetur, & diſtrictionis eccleſiaſticæ animadverſione plectatur. Cbriſma vero, oleum ſanctum, conſecrationes altarium, ſeu baſilicarum,

 ordi-

ordinationes monachorum, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, a Diœceſano ſuſcipietis epiſcopo, ſi quidem Catholicus fuerit, & ea gratis & abſque pravitate aliqua vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis Catholicum, quem malueritis, adire antiſtitem, qui nimirum noſtra fultus auctoritate, quod poſtulatur, indulgeat. Neque ulli epiſcopo aut epiſcoporum miniſtro facultas ſit in capellis ad prædictum monaſterium pertinentibus, præter competentem ei quartam decimarum & oblationum partem, injuſte ſibi aliquid vendicare. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanior de ſuo vel de alieno Ciſtercienſis ordinis, ſi oportuerit, collegio ſecundum Deum & beati Benedicti regulam elegerint a Romano Pontifice conſecrandum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed illibata omnia & integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tenta-

tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exſiſtere de perpetrata iniquitate agnoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eisdem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

EGO ALEXANDER
Catholicæ eccleſiæ epiſcopus.

Ego Bernardus Portuenſis & ſanctæ Rufinæ epiſcopus.

Ego Ubaldus presbyter cardinalis tituli ſanctæ Crucis in Jeruſalem.

Ego Johannes presbyter cardinalis ſanctorum Johannis & Pauli tituli Pammachii.

Ego Aldobrandus baſilicæ duodecim apoſtolorum presbyter cardinalis.

Ego Johannes presbyter cardinalis tituli ſanctæ Anaſtaſiæ.

Ego Albertus presbyter cardinalis tituli ſancti Laurentii in Lucina.

Ego

Ego Guillelmus presbyter cardinalis tituli ſancti Petri ad vincula.

Ego Boſo presbyter cardinalis ſanctæ Pudentianæ tituli Paſtoris.

Ego Johannes presbyter cardinalis tituli ſancti Marci.

Ego Teodinus presbyter cardinalis ſancti Vitalis tituli Veſtinæ.

Ego Hiacynthus diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin.

Ego Ardicio diaconus cardinalis ſancti Theodori.

Ego Cinthius diaconus cardinalis ſancti Hadriani.

Ego Manfredus diaconus cardinalis ſancti Georgii ad velum aureum.

Ego Hugo diaconus cardinalis ſancti Euſtachii juxta templum Agrippæ.

Ego Petrus diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ in Aquiro.

Datum Verulis per manum Gratiani ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiaconi & notarii, VII. *idus Maii indictione tertia, incarnationis Dominicæ anno* MCLXX. *Pontificatus vero domni Alexandri Papæ III. anno undecimo.*

Hæc in ampliſſimo diplomate ad Caſæmarii monachos Alexander.

Ut

Ut autem ad Honorium redeam, unde diverti; quum illi tot Caſæmarii monaſterio privilegia contuliſſe haud ſatis eſſe videretur, poſt aliquot deinde menſes ſingulari decrevit diplomate, ut ſanctorum Johannis & Pauli feſtiva dies per totum Ciſtercienſem ordinem ſollemni pompa ac officio recoleretur: necnon eorum ſacra nomina in litaniis majoribus, ut vetus eſt eccleſiæ conſuetudo, implorari, literis iisdem generali Ciſtercii capitulo nuncupatis præcepit, quas Manriquez ad annum ducenteſimum duodeviceſimum ſupra milleſimum publici juris fecit, easdemque hic etiam lubet vulgare:

Univerſis abbatibus in generali Ciſtercienſi capitulo conſtitutis.

BEatorum martyrum Johannis & Pauli merita glorioſa commendat, & quoscunque fideles merito ad eorum devotionem invitat, quod ſcriptura teſte linguæ ipſorum factæ ſunt claves cœli. Unde ſecundum eccleſiæ Romanæ ordinem, ſicut apoſtolorum principes Petrus & Paulus in litaniis ante alios apoſtolos invocantur, ita & hi inter martyres, quos eccleſia exorat, aliis præponuntur. Sane nos ad eosdem glorioſiſſimos martyres ſpiritualem devotionem habentes utpote qui ad eorum titulum ſacerdotii gradum accepimus, eccleſiam Caſæmarii eorundem vocabulo inſignitam, antequam ordinis ve-

ſtri

ſtri reciperet inſtituta, pro ipſorum reverentia & dilectione, qua veſtrum ordinem amplectimur, egregia ſtructura fecimus fabricari, eamque advocata epiſcoporum multitudine ſollemniter conſecravimus ad honorem Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, & glorioſæ Matris ejus, ac martyrum prædictòrum. Quum igitur & vos eorundem ſanctorum memoriam ſpeciali devotione recolere debeatis, per apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus eorum ſacra ſollemnia faciatis per omnes eccleſias veſtri ordinis in duodecim lectionibus annis ſingulis veneratione congrua celebrari: & in litaniis eorum implorari ſuffragium juxta morem Romanæ eccleſiæ prænotatum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum duodecimo kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Mox quatuor poſt annos pro immobilibus monaſterii bonis ab ipſo Honorio traditis, aut inpoſterum comparandis duo alia dedit diplomata, alterum, quo indulget, ut monaſterium a qualibet omnino extraneorum exactione immune evadat, non ſecus ac forent ipſius Romani Pontificis bona: alterum, quo inhibet, ne in alienam manum quocunque titulo a quovis alio unquam diſtrahi poſſent: ſic enim in primo indulget Honorius:

Abbati

Abbati & conventui Caſæmarii.

ETſi nequeamus quicquam Domino retribuere pro omnibus, quæ de ſuæ pietatis abundantia tribuit ipſe nobis, pro eo quod non eſt facturæ vicaria compenſatio ad factorem, ſcientes tamen beneplacitum eſſe illi, ut famulos ſuos, qui abnegantes non ſolum ſua, ſed etiam ſemetipſos, ipſi ſoli deſiderant famulari, geramus in viſceribus charitatis; & eis manum auxilii porrigamus; monaſterio veſtro certam donavimus pecuniæ quantitatem, ut exinde ad opus & utilitatem ipſius prædia, vel res alias immobiles emeretis. Qua de re conditionem ſtudentes implere, jam de parte ipſius pecuniæ poſſeſſiones emiſtis, & adhuc alias de reliqua emere laboratis. Unde nobis ſupplicaſtis inſtanter, ut quum ea, quæ de munificentia principali veſtro monaſterio applicantur, omni debeant libertate clarere; pro eo quod indignum eſt, ut quæ ab eo, qui aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis, pietatis amore donantur, aliis ſubjaceant in aliquo quam datori; poſſeſſiones de pecunia noſtra emptas vel emendas tanquam a nobis donatas omnino eximere dignemur. Nos itaque veſtris ſupplicationibus annuentes, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut poſſeſſiones ipſas tanquam ad Romanam eccleſiam immediate ſpectantes a cujuslibet alterius jurisdi-

ction habeatis liberas & immunes. Nulli ergo &c. Datum Laterani x. *kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno ſexto.*

Sic autem in ſecundo idem Pontifex inhibet:

Abbati & conventui Caſæmarii.

V*Eſtris inclinati precibus, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne poſſeſſiones de eleemoſyna veſtra veſtro monaſterio acquiſitæ alienari ab aliquo præſumantur: quod ſi quisquam contra tentaverit, nos eum excommunicationis ſententiæ ſubjacere decernimus, nonniſi per ſedem apoſtolicam abſolvendum. Nulli ergo &c. Datum Laterani* VII. *kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno ſexto.*

Item pro mobilibus ejusdem monaſterii bonis hoc aliud privilegium conceſſit:

Abbati & conventui Caſæmarii Ciſterciensis ordinis.

D*Ecorem domus veſtræ ſpeciali, ut noſtis, diligentes affectu, quædam ad profectum & ornatum eidem largiti ſumus, & adhuc plura, faciente Domino, diſponimus elargiri, proviſo etiam quod a Ciſtercienſi abbate vobis eadem retinendi licentia eſt*

con-

conceſſa. Verum ne noſtro fraudari propoſito videamur, ſi eccleſia veſtra beneficiis ſibi a nobis collatis, ſeu etiam conferendis aliquo ingenio fraudaretur, noveritis nos irrefragabiliter ſtatuiſſe, ut quicunque de iis quicquam violenter rapere vel ſubrepere fraudulenter, ſeu vendere vel donare, ſive obligare pignori, ſeu quocunque alienationis genere diminuere attentaverit, ipſo actu ſententiam excommunicationis incurrat, a nullo unquam niſi a Romano Pontifice, vel cui ab eo commiſſum fuerit, abſolvendus. Datum Laterani XII. *kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno ſexto.*

His omnibus ſubjiciendas duxi alias Honorii Pontificis literas, cujus auctoritate ſancti Juſti & Paſtoris cœnobium in Hiſpania in diœceſi Compoſtellana Caſæmarii monaſterio ſubditum fuit ab ejus abbate regendum.

Priori & conventui ſancti Juſti.

Dilectus filius abbas de Columba expoſuit coram nobis, quod quia abbas & conventus monaſterii Fontis-vivi debitam non poterant diligentiam adhibere, ipſam eidem abbati tanquam patri proprio commiſerunt, alii monaſterio, cui melius expedire conſpiceret, committendam. Unde ipſe abbas ſperans eidem eccleſiæ per dilectos filios priorem &

 con-

conventum Caſæmarii utiliter provideri, eam ipſis tanquam filiam provida deliberatione commiſit. Sperantes igitur exinde grata vobis commoda proventura, diſcretionem veſtram monemus attente, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus monaſterio Caſæmarii de cetero tanquam filii humiliter intendatis juxta Ciſtercienſis ordinis inſtituta, ut ſic, auctore Domino, exinde ſperato profectu gaudentes, apud Deum & homines mereamini commendari. Datum Laterani nonis Januarii, Pontificatus noſtri anno primo.

Sic ad cœnobium ſancti Juſti habuit Honorius; mox ad Caſæmarii abbatem hæc ſcripſit:

Abbati & conventui Caſæmarii.

DIlectus filius abbas de Columba expoſuit coram nobis, quod abbas monaſterii Fontis-vivi provide attendens, quod erga eccleſiam ſancti Juſti, quæ hactenus fuit filia monaſterii ſupradicti, debitam non poterat diligentiam adhibere, ipſam eidem abbati tanquam patri proprio commiſerunt alii monaſterio, cui melius expedire conſpiceret, committendam. Unde idem abbas ſperans eidem eccleſiæ per vos utiliter promoveri, eam vobis tanquam filiam provida deliberatione commiſit. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus,

qua-

quatenus in adoptionis filiam recipientes, erga ipſam juxta veſtri ordinis inſtituta maximum affectum, & effectum de cetero gerere ſtudeatis, ut ipſa, Domino adjuvante, ſpiritualibus proficiat incrementis, & bonis temporalibus augeatur: vosque apud Dominum meritum, & laudem apud homines comparetis. Datum Laterani nonis Januarii, Pontificatus noſtri anno primo.

Hæc pro Caſæmarii monaſterio Honorii III. Romani Pontificis privilegia jampridem ab auctoribus evulgata, quæ hic iterum placuit edidiſſe. Verum plura admodum ſunt, quæ adhuc latent nondum publicis mandata literis non modo Honorii, ejusque plurium deceſſorum & ſucceſſorum Pontificum, tum ante tum poſtquam Ciſtercienſis ordinis inſtituta ſuſcepit, ſed etiam Imperatorum & regum quamplurima, quorum pleraque reperi in vetuſto & prægrandi codice ſive chartario antiquis literis in membrana ſcripto olim Michaelis Bonelli cardinalis Alexandrini monaſterii commendatarii Pii V. nepotis, hodie ſapientiſſimi Pontificis Clementis XI., quod mecum ſummi principis beneficio humaniſſime communicatum perquam libenter ſedulo evolvi: in cujus exordio Caſæmarii leguntur initia & prima incrementa, unde illa Cardinalis Baronius eduxit, ceteraque de Caſæmarii monaſterio excerpſit; atque ejusmodi chartario titulus eſt:

Inci-

Incipiunt ſancta primordia & fundamenta ſacri monaſterii Caſæmarii ordinis Ciſtercienſis: deinde in excurſu voluminis, præter diplomata, multa proſtant donationum, aliorumque jurium inſtrumenta, quæ pro monaſterio antiquitus lata ſunt diligentiſſime in unum collecta; unde incredibilem prope dixerim voluptatem animo cepi meo, quum tot ampliſſimis privilegiis, latifundiis, prædiis, & juribus inſigne hoc monaſterium veterum pietate & munificentia donatum invenerim.

CAPUT IV.

Cœnobium ſancti Dominici Sorani Caſæmarii monaſterio adjunctum, ejusque eccleſia.

POSTQUAM Honorius Pontifex Caſæmarii monaſterium cumulavit privilegiis, & prædiis abunde locupletavit, aliud adjecit ſui in illud amoris argumentum, quod Baronius, Manriquez, aliique publicis literarum monimentis tradiderunt. Quum enim ſancti Dominici Sorani clariſſimi olim cœnobii monachi a veterum patrum inſtitutione ac ſanctitate deflexiſſent, neque illis diſperſis ſuffectos ſanctiores Pontifex experiretur, abbatiam ſupprimendam ſibi eſſe conſtituit, ac propterea procul amandatis monachis, ejus bona Caſæmarii adjudicavit

cavit monaſterio, quod ſeptem millibus paſſuum ab illo diſtat, ibidemque prioratum ad ritus Ciſtercienſes informandos erexit. Hoc autem ad ripam Liris fluvii ædificatum eſt, qui ex Apennino monte decurrens in Soranum primo ſe fundit agrum, tenuis antequam Fibreni fluminis ebibat aquas. Amnem hunc multi exiſtimant e Fucino ſuperiore Marſorum lacu per emiſſarium, quod Claudius Cæſar exſtruxit, occultis huc delabi venis: quam opinionem errori obnoxiam eſſe diſerte notat inſignis chorographus Antonius Sanfelicius antiquus auctor in aureo ſuo libello de origine & ſitu Campaniæ. Verum in ipſo cœnobii ſitu Marci Tullii Ciceronis domum in deliciis fuiſſe ex illis, quas Arpino proximas habuiſſe ferunt ſcriptores, Clavellus in libro ſexto de veteri Arpino erudito examine animadvertit. Exſtant in prælaudato Caſæmarienſi chartario, exactis, quæ ad Caſæmarium ſpectant, inſtrumentis & diplomatibus, inſtrumenta & diplomata nonnulla de Sorano monaſterio, quæ inter primo loco donationis charta de fundatione cœnobii data indictione tertiadecima, anno milleſimo triceſimo, quo illud in agro Sorano ſub Johanne epiſcopo, ut putat Ughellus in tomo primo Italiæ ſacræ de epiſcopis Soranis, conditum eſt in loco, ubi Fibrenus influit in Lirim. Qui enim hoc tempore Soranæ civitati, atque Arpino Caſtaldæi nomine præerat Petrus Raynerii filius, idipſum ædificandum curavit. Inſtrumentum hocce donationis

tionis jampridem Baronius vulgavit ab hoc ipſo codice depromptum, idemque a cardinali Alexandrino mutuatum ſe in publicum emittere profitetur; quod etiam hic ſubjiciendum operæ pretium exiſtimavi:

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti anno milleſimo triceſimo, menſe Septembris, indictione tertiadecima.

EGo domnus Petrus ſenior Soræ & Arpini, filius bonæ memoriæ domni Raynerii ejusdem civitatis, & domna Doda filia bonæ memoriæ Oderiſii comitis, uxor ſupradicti domni Petri, una cum ejus voluntate & abſolutione bona, & ſpontanea voluntate noſtra declaramus, quia dum quadam die cogitare cœperimus intra nosmetipſos, qualiter in peccatis concepti & nati ſumus, & qualiter ab infantia noſtra die noctuque, horis & momentis innumerabilia peccata commiſimus, & qualiter in illo terribili judicio de omnibus factis noſtris, & cogitationibus Deo rationem reddituri ſumus, & qualiter ab illo æquiſſimo judice unusquisque recipiet ſecundum opera ſua: & rurſus dum cogitare cœperimus, qualiter impii & peccatores, qui hic peccata ſua redimere negligunt, in illa pavenda pœna perpetuo cum diabolo damnabuntur, & qua-

qualiter juſti & electi Dei in illa æterna beatitudine cum Domino gloriabuntur; ſubito reſpexit nos divina pietas, & compunctum eſt cor noſtrum cum tremore & æſtuatione cordis, & cœpimus cogitare, & quærere conſilium a ſacerdotibus & religioſis viris, qualiter innumerabilia peccata noſtra redimere potuiſſemus, & ab ira æterni judicis & pœna æterna evadere. Accepimus conſilium ab eis, præterquam renunciare ſæculo, nihil eſſe melius, quam eleemoſynarum virtutem, & de propriis rebus & ſubſtantiis monaſterium conſtruere, & ibidem cœtus monachorum famulantium Deo coadunare, & ibi ſecundum regulam & normam beati Benedicti laudes Deo reſonare, & vota perſolvere, & omni tempore pro animabus noſtris inceſſanter orare. Hoc conſilium ab eis libenter & ardentiſſimo amore accepimus, & cœpimus quærere inter nosmetipſos ubi opportunum locum invenire potuiſſemus, & ſic Deo concedente, invenimus locum in finibus Soræ, ubi dicitur inter formas, *quem habebamus in rebus proprietatis noſtræ per chartulam acquiſitionis. Ibique nos ipſi domnus Petrus, & domna Doda ſimul atque communiter uno animo, mente una, novo fundamento conſtruximus eccleſiam in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ, & tradidimus eam in manus viri venerabilis domni Dominici ſacerdotis & abbatis, & ibi eum abbatem conſtituimus, ubi*

monaſterium conſtruxiſſet, & cœtus monachorum Deo famulantium eo advocaſſet &c. Deinde fundi & prædia enumerantur, quæ in monachorum alimenta Petrus & Doda munifice erogaverunt, quorum quum prolixa valde ſit ſeries, Baronii veſtigiis hærendo, conſulto præteritur. Sequitur in fine donationis, ut moris eſt, eorum ſubſcriptio, necnon teſtium, ſimulque judicis, una cum ſignis, quæ adponi in publicis chartis ſolent.

Verum quod monaſterii fundationem attinet, optime conſonat Alberici monachi teſtimonio ab Alexandro II. in ordinem cardinalium cooptati, qui ſancti abbatis vitam diſerte ſcripſit ab Johanne Bollando ex vetuſto MS. codice Caſinenſi Langobardicis characteribus exarato ad diem viceſimamſecundam Januarii, qua Sorani cives ejus colunt memoriam, typis primum editam, deinde ab Johanne Mabillonio & Theodorico Ruinarto viris de re literaria perpetuo meritis in parte prima ſæculi ſexti Benedictini meliori luce donatam, & præviis obſervationibus illuſtratam: ibi enim Albericus Sorani cœnobii fundationem ſic refert: „ Per idem tempus
„ quum vir Dei de cœnobio ſancti Petri de Lacu ad
„ Triſaltum * viſitandorum fratrum gratia perge-
„ ret, Petrus Raynerii Soræ dominus ſeſe illi ob-
„ vium facit, de criminibus ſuis multis & maximis
„ ſatis humiliter expetere judicium cœpit. Cui vir

ſan-

* Potius *Triſultum* monaſteriū, quod S. Bartholomæi nomine ad Carthuſianos hodie pertinet.

„ ſanctus inter ceteros pœnitentiæ fructus illud
„ etiam in præceptis dedit, ut in juris proprii territorio monaſterium conſtrueret, idque de propriis tanta rerum liberalitate ditaret, ut certus ibidem Deo famulantium numerus affluenter exinde vitæ ſubſidia percipere poſſet. Acquieſcit libenter viri Dei juſſionibus Petrus, eumque ſuppliciter obſecrat ſecum pariter equitare, terram dominii ſui univerſam proſpicere, & quocunque loco ſibi viſum aptius ei fuerit, cœnobium ſe pollicetur ædificare. Annuit juſtæ petitioni Dominicus, & terram pariter perluſtrantibus, tandem juxta Soram locus ſeſe Dominico obtulit, quem monaſterio conſtruendo Sanctus aptiſſimum judicavit: ibique ex præceptione viri Dei monaſterium in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ mox Petrus ædificavit, & largitione multimoda omnia, quæ eſſent loco neceſſaria, contulit. Mox proſequitur: „In quo videlicet loco quum ſanctimoniales, neſciente Dominico, locatæ fuiſſent, & eorum mores minime profeſſioni congruerent, quin potius turpis converſationis earum fama aures etiam Dominici perculiſſet, Petrum ad ſe protinus advocans, acriter convenit, cur in monaſterio, quod ex ejus præceptione conſtruxerat, ſe inconſulto, feminas locare voluiſſet: ſimulque illi quam fœda & turpia de illis audierat, enarravit. Præcipit, ut mox ſine aliquo dedecore expulſis illis,

 fra-

„ fratres inibi ſub regulari magiſterio ſervituros
„ Domino congregaret. Tunc Petrus veſtigiis viri
„ Dei proſtratus, commiſſi veniam poſtulat, fa-
„ cturum ſe quicquid juſſerat, pollicetur: illud quo-
„ que intentiſſime & inſtantiſſime flagitans, ut eis,
„ quos inibi aggregandos jubebat, ipſe in patrem,
„ ipſe ſemper præeſſe rectorem deberet. Reſiſtente
„ rogatibus iſtis Dominico, & inſiſtente nihilomi-
„ nus Petro, victus tandem importunitate precum
„ Dei famulus ceſſit, pollicitus, ut expulſis ſancti-
„ monialibus illis, ſervorum Dei, qui deinceps in
„ eodem loco aggregentur, paternam deberet cu-
„ ram ſuſcipere, eoque, quo prædiximus ordine,
„ univerſa completa ſunt. Hæc Albericus de Sorani
monaſterii fundatione.

Accedit vero,ut idem monaſterium, quod ſicut palam facit inſtrumentum, & Albericus confirmat, Deiparæ nomine primitus erectum fuit, ſancto Dominico ex hac luce in cœlum ſublato, nomine ſancti Dominici cœperit vocari. Servatur enim in citato cardinalis Alexandrini codice, quod etiam exploratum habuit Baronius, Innocentii III. diploma datum Ferentini anno Pontificatus nono, necnon aliud, ut ipſe animadverti, Celeſtini III. datum Romæ anno quinto, in quibus Soranum monaſterium ſimul beatæ Mariæ & ſancti Dominici vocabulo appellatur. Quinimmo a Ludovico Jacobillio in tomo primo de Sanctis Umbriæ, qui vitam ſancti abbatis Italice ſcripſit,

pſit, compertum habui veterum, quibus ipſe innititur, monumentorum fide Sorani monaſterii eccleſiam a Paſchale II. Pontifice in honorem ſancti Dominici conſecratam fuiſſe: unde inpoſterum ſancti Dominici nomine apud omnes vocitatam eſſe putavi.

Hoc igitur illuſtre cœnobium Honorius Pontifex anno ſupra milleſimum ducenteſimo viceſimoſecundo Caſæmarii monaſterio adjunxit, cujus unionis luculentiſſimum teſtimonium reperi in prælaudato Caſæmarienſi chartario, quod ejusmodi eſt:
„ Honorius Papa III. quinto kalendas Maii mane
„ conſecrato altari .... poſt veſperas
„ coram ſe convocato conventu, monaſterium ſan-
„ cti Dominici noſtræ eccleſiæ Caſæmarii counivit
„ & incorporavit, & nos de eodem, præſentibus
„ cardinalibus, inveſtivit: deinde per epiſcopum
„ alterum Johannem, & Odonem de Bove, Johan-
„ nem de Palumbaria, & Johannem de Romania
„ ſuos utique capellanos, præſentibus bajulis Sora-
„ nis, & caſtellano Arpini pro parte Imperatoris, in
„ corporalem poſſeſſionem fuimus introducti. Hæc
in codice. Supereſt ut Honorii diploma producam ab hoc etiam volumine acceptum, quodque ibidem ut ſupra Baronius primum vulgavit:

HO-

HONORIUS EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei.

Dilectis filiis abbati Caſæmarii, ejusque fratribus tam præſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

CUſtodes & cultores licet immeriti conſtituti a Domino in eccleſiæ paradiſo ſacræ religionis gratioſa plantaria in ea cupimus propagari, quæ flores & fructus producentia honeſtatis animam ſponſi ſua ſuavitate delectent, totamque reddant eccleſiam ſpecioſam. Sed quanto nobis ejus gratior eſt profectus, tanto defectus eſt gravior, ſi quando propagata plantaria vitiantur, vel in alienæ vitis amaritudine corrumpantur, dolore confodimur, & rubore confundimur vehementi, quum nonnunquam ſui contagione ſincera etiam turbare ſoleant, & turpare. Quare ſummo eſt nobis ſtudio providendum, ut quæ adeo a ligno vitæ degenerant, & quæ debuerant eſſe odor vitæ in vitam, facta odor mortis in mortem, ut nullo ſtudio reduci poſſint ad priſtinam qualitatem, de vinea Domini radicitus evellantur, quatenus alia plantentur in ea, quæ gratum Domino fructum tempore ſuo reddant. Sane quum monaſterium ſancti Dominici de Sora, cui Dominus

in

in rore cœli & terræ pinguedine benedixerat, tanquam hortus deliciarum diu in ſpiritualibus & temporalibus floruiſſet, & abundaſſet delectabilium fructuum ubertate, tandem propter malitiam degentium in eodem, qui tanquam tribuli & urticæ, veræ religionis plantariis ſuffocatis, diſſolute viventes in bonis monaſterii prodigaliter graſſabantur, uſque adeo ibi annullata fuit omnis obſervantia regularis, quod quaſi cubile draconum multis erat in ſcandalum & horrorem. Sed licet illud ſtudioſe tentaverimus reformare, quosdam monachos peſtilentes exinde amovendo, & faciendo in aliis monaſteriis collocari, & advocato aliunde abbate, ſi forte poſſet monaſterio ſuccurrere deſolato, quia tamen amoti, etiam tanquam canes ad vomitum redeuntes, exinde etiam nec eccleſiaſtica cenſura potuerunt arceri, ſed fere omnes excommunicati præſumebant celebrare, vel potius profanare divina, ſicque monaſterium iis, qui in circuitu ejus ſunt, magis ac magis erat in ludibrium & contemptum. Nos videntes & dolentes quod Babylonem non poteramus ad libitum etiam diligenti cura ſanare, vineam Domini aliis providimus locandam agricolis, monaſterium ipſum cum omnibus eccleſiis & poſſeſſionibus, paſcuis, ſilvis, molendinis, hominibus, & aliis juribus & pertinentiis ejus monaſterio veſtro uniendo. Statuimus etiam, ut per vos idem monaſterium informetur ſe-

ſecundum Ciſtercienſis ordinis inſtituta, ita quod ibi ſemper duodecim monachi de monaſterio veſtro reſideant Domino famulantes, ad quorum cuſtodiam abbas unum inſtituet ut rectorem, quem quoties voluerit, poterit commutare, & ſic utrunque monaſterium ſemper ſub unius tantum abbatis regimine gubernetur: chariſſimo in Chriſto filio noſtro Friderico Imperatore Romanorum illuſtri ſemper Auguſto, & rege Siciliæ quicquid in monaſterio illo ad eum pertinuerat, vobis de aſſenſu noſtro donante, ſicut in ejus privilegio aurea bulla munito plenius continetur. Volentes igitur prænotatam unionem, necnon ejusdem Imperatoris donationem perpetuis durare temporibus, eam auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ unionis, conſtitutionis, & infirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si qua vero in futurum eccleſiaſtica ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisve ſui careat dignitate, reamque divino judicio exſiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ

ſub-

ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiat, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniat. Amen. Amen.

E G O H O N O R I U S
Catholicæ eccleſiæ epiſcopus.

Ego Hugo Oſtienſis & Velitrenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego frater Nicolaus Tuſculanus epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Leo tituli ſanctæ Crucis in Jeruſalem presbyter cardinalis ſubſcripſi.

Ego Guala ſancti Martini presbyter cardinalis tituli Equitii ſubſcripſi.

Ego Stephanus baſilicæ ſanctorum duodecim Apoſtolorum presbyter cardinalis ſubſcripſi.

Ego Gregorius tituli ſanctæ Anaſtaſiæ presbyter cardinalis ſubſcripſi.

Ego Thomas tituli ſanctæ Sabinæ presbyter cardinalis ſubſcripſi.

Ego Johannes tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis ſubſcripſi.

Ego Rainerius ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconus cardinalis ſubſcripſi.

Ego Romanus ſancti Angeli diaconus cardinalis ſubſcripſi.

Ego Aegidius ſanctorum Coſmæ & Damiani diaconus cardinalis ſubſcripſi.

Datum Alatri per manum Guidonis capellani domini Papæ kalendis Junii, indictione nona, incarnationis Domini milleſimo ducenteſimo viceſimoſecundo, Pontificatus vero domini Honorii Papæ III. anno ſexto.

Hactenus Honorii Pontificis diploma, cui accedit aliud Friderici Imperatoris, qui anno ſuperiori Caſæmarium adiit a monachis humaniſſime exceptus, idemque codex cardinalis Alexandrini his verbis teſtatur: „ Fridericus Imperator anno MCCXXI. „ III. idus Aprilis cum proceſſione ſollemni receptus & hoſpitatus fuit in Caſæmario, ſequenti die „ Verulas intravit, & plures dies cum Papa Honorio „ moratur ibidem de ſuccurſu Terræ ſanctæ & frequenter & publice tractans. Monaſterium ſancti „ Dominici Caſæmario Imperiali liberalitate donavit, & datum aureo privilegio confirmavit. „ Et VIII. kalendas Maii per Caſæmarium rediens, „ participium bonorum omnium, quæ in monaſterio fiunt, & fraternitatem cum patre & matre in „ humilitate digna memoria & petiit, & accepit, „ & hoc per ſtudium & induſtriam venerabilis Johannis hujus monaſterii abbatis. Diploma itaque, quo cœnobii Sorani unionem cum Caſæmarienſi

rienſi ratam habuit, ſubjiciam, quod jampridem cardinalis Baronius publicum fecerat:


F R I D E R I C U S

Divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & rex Siciliæ.

E*Docti per eum, qui transfert regna, qui nos conſtituit ſua clementia ſuper gentes evellere, deſtruere, diſperdere, diſſipare quæ noxia ſunt, promovere, & propagare quæ proſunt, monaſterium ſancti Dominici ſitum in territorio civitatis noſtræ Soranæ, quod in ſpiritualibus & temporalibus ita collapſum eſt, ut vitam improbam monachorum (quod vix adjiciat ut reſurgat) per religioſos & Deo placentes Ciſtercienſis ordinis fratres in melius reforment, monaſterio Caſæmarii, cujus fama eſt celebris, unguentum effuſum nomen ejus & recta religio, illud providemus committendum & incorporandum, ut ex hoc nunc & in ſæculum ſæculi ſint iſta duo monaſteria corpus unum, grex unus, & paſtor unus, & abbas Caſæmarii, qui pro tempore fuerit, de utroque diſponat, de utroque provideat & ordinet ſecundum ſtatum Ciſtercienſis ordinis, ut de uno. Intendentes igitur & volentes placere ſummo Pontifici domino Honorio III. reverentiſſimo & amantiſſimo patri noſtro, qui & nobis,*

ordinante divina providentia .... & monaſterium Caſæmarii inter alia ſui ordinis plus dilexit, cum ipſius aſſenſu & gaudio cordis concedimus & donamus monaſterium ſancti Dominici, quantum ad jurisdictionis pertinet poteſtatem, monaſterio Caſæmarii memorato cum omnibus tenimentis, montanis, paſcuis, ſilvis, aquis, capellis, hominibus, libertatibus omnibus, & omni jure ſuo, ut ipſa ſint unum ſub unius dominio paſtoris, abbatis videlicet Caſæmarii, ſicut ſupra diximus. Turbatores autem temerarios noſtræ hujus libertatis & unionis tanquam rebelles lumini in tempus omne bannimus, & quicunque fuerint, ab Imperiali gratia ſic ſe noverint cecidiſſe, ac ſi rei principi teneantur de perſonis & rebus. Ad hujus itaque conceſſionis & donationis noſtræ memoriam, & roboris firmitatem præſens privilegium per manus Johannis de Lauro notarii & fidelis noſtri ſcribi, & bulla aurea typario noſtro impreſſa juſſimus communiri anno, & menſe, & indictione ſubſcriptis. Datum apud Verulam anno Dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo viceſimo ſecundo, menſe Aprilis decimæ indictionis, domni noſtri Friderici Dei gratia invictiſſimi Imperatoris ſemper Auguſti & regis Siciliæ anno ſecundo, Siciliæ viceſimoquarto feliciter. Amen.

Sorani



TAB. I

pag. 53

ICHNOGRAPHIA ECCLESIÆ ET MONASTERII SANCTI DOMINICI SORANI

Fran. Bufanus delin.

Fran. Aquila sculpsit

Sorani hujus cœnobii eccleſia, cujus cum monaſterio ichnographicam tabulam exhibemus, tribus conſtat navibus rudi opere, & nullo ornata laqueari: unicam habet aram ſancto abbati Dominico ſacram, ubi ligneum ejus adſtat ſimulacrum, cujus abſidem Scipio Burgheſius cardinalis monaſterii olim commendatarius picturis decoravit. Pavimentum ſatis rude eſt & impolitum, nec in eodem ſiſtit æquali plano, quum ad presbyterium aſcendatur. Super baſilicæ januam Pontificis Innocentii XI. ſpectantur inſignia, ibique inſcriptio legitur eo ſedente ruentem ædem a Johanne Franciſco Nigrono generali apoſtolicæ cameræ theſaurario, deinde ab eodem Pontifice in ſacrum Cardinalium ordinem adlecto, & Faventina infula decorato reſtitutam fuiſſe. Deſcenditur hinc inde in ſubterraneum ſacellum ferreis clauſum cancellis, & ſexdecim fultum pretioſi marmoris columnis, ibique altare proſtat, ubi ſanctiſſimi abbatis veneranda lipſana requieſcunt; quæ anno ſuperiore menſe Majo ex vetere altari eruenda, & in novum ac vario lapidum ornamento affabre inſtructum maximus idemque optimus Pontifex CLEMENS XI. transferenda curavit: quo translationis die ſacram ædem accedentibus ampliſſimam omnium peccatorum remiſſionem conceſſit: quamobrem tanta finitimarum gentium confluxit multitudo, ut ſollemnis hujus ſacrarum reliquiarum memoria digno nomine transmitti in poſteros mereatur.

tur. De hoc ſanctiſſimo abbate, ejusque corpore ibidem ſepulto plures meminerunt ſcriptores, quos inter principem locum obtinet Albericus cardinalis, quem ſupra memoravi, in vita per Bollandum edita, ubi ait: „ Obiit autem vir ſanctus undecimo kalendas „ Februarii anno ab incarnatione Domini milleſi- „ mo triceſimoprimo, humatumque eſt cadaver ejus „ in monaſterio, quod nunc ejusdem cognominatur „ vocabulo, ſito in Campania in vicinia Soranæ ci- „ vitatis, ubi ejus orationibus multa Chriſtus ope- „ rari non deſinit mirabilia uſque in hodiernum „ diem. Accedit Leo Oſtienſis epiſcopus in chronici libro altero capite ſexageſimoprimo, juxta Pariſienſem editionem ab Angelo de Nuce Caſinenſi abbate notationibus illuſtratam: „ His diebus (ſcribit Oſtienſis) beatus Dominicus innumerabilium patra- „ tor mirabilium multorumque cœnobiorum fun- „ dator migravit ad Dominum, ſepultusque in „ monaſterio Soræ vicino, quod nunc ejusdem vo- „ catur nomine. Cui adſtipulatur Carolus Sigonius in libro octavo de regno Italiæ ad hunc annum: „ Poſtero in Campania (Sigonius inquit) beatus „ Dominicus mirabilium patrator operum, multo- „ rumque fundator cœnobiorum apud Soram jam „ fere octogenarius obiit, atque in monaſterio, „ quod poſtea ab eo nomen accepit, ſepultus eſt; quem deinde cum ſancto Dominico Loricato ſancti Petri Damiani Faventiæ noſtræ patroni diſcipulo per-

perperam confundit, ſicut etiam Angelus de Nuce in præfatis notationibus, aliique ab errore occupati confuderunt. Ejus vitam præter Ludovicum Jacobillium in tomo primo de Sanctis Umbriæ vulgatam, aliam ab eo citatam Caſpar Spitillius conſcripſit: necnon Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ ad diem viceſimamſecundam Januarii compendioſe plura notavit miracula, & vaticinia, quibus ſanctus abbas in Italia clariſſimus fuit. Martyrologium Romanum eadem die, qua ceteri, ejus colit memoriam; ibique Cardinalis Baronius in notationibus, ubi citat Leonem Oſtienſem loco ſuperius laudato, codicem Vaticanæ bibliothecæ memorat, qui inſcribitur *Liber cenſuum*, in quo tam de monaſterio ſancti Dominici, quam de immunitate Sorani epiſcopi, ut Romano tantum Pontifici ſubditus ſit, habetur narratio. Late etiam de illo differit doctiſſimus abbas Julius Antonius Lucentius in libro, cui titulus *Fulgor Fulginii*, quem nuper in lucem emiſit. Sancti abbatis feſtivitas ab incolis Soræ & finitimis populis quotannis ſollemni more colitur præfata die viceſimaſecunda Januarii, qua obdormivit in Domino, ibique maxima adjacentium oppidorum frequentia nundinæ habentur.

CA-

CAPUT V.

Monaſterii calamitates & infortunia.

VERUM tamen Caſæmarii monaſterium tot auctum privilegiis, latifundiis locupletatum, & ob viros, qui ex illo prodierunt inſignes, ad culmen honoris provectum, eo nonnullos poſt annos devenit, ut ab illo miſerrime dejectum immani Saracenorum depopulatione prope exciſum aboleretur. Quo item tempore, munifico largitore Honorio III. e vivis erepto, Sorani cives in Caſæmarii monaſterium, monachos, & bona deſæviere: qua vero de cauſſa, obſcurum eſt & incertum. Conſtat tamen effuſum converſorum fratrum ſanguinem, direpta bona, pecora occiſa. Conqueſti ſunt monachi apud Gregorium IX. Pontificem, a quo haſce literas ad ſupremum Imperii juſtitiarium inſcriptas obtinuerunt:

DIlecti filii prior & conventus Caſæmarii gravi nobis conqueſtione monſtrarunt, quod S. apoſtata, & quidam alii Sorani cives ad quasdam eorum grangias accedentes, in quosdam ipſorum converſos fratres uſque ad effuſionem ſanguinis manus violentas auſu ſacrilego injecerunt, & bona ibidem inventa tandem aſportantes, occiderunt animalia,

malia, & alia eis damna gravia, & atroces injurias irrogarunt. Quia vero aliena ſunt compeſcendi virtute qui ſunt ſuo vitio ſacrilegi, inquieti, nobilitatem tuam rogamus & monemus attente, per apoſtolicam tibi ſedem mandantes, quatenus malefactores hujusmodi taliter tibi tradita poteſtate caſtiges, quod, correctis facinoroſis, puſillanimes conſolentur, & nos devotionem tuam debeamus merito commendare. Datum Laterani XVI. *kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno primo.*

His fere annis, Gregorio etiam Pontifice, quum Fridericus Imperator infenſiſſimus Romanæ eccleſiæ hoſtis tota pene Italia, & Pontificia præſertim ditione ſacrilegis armis graſſaretur, proximum & illuſtre Caſinenſe monaſterium commune fatum cum illo Caſæmarii ſubiit, & Saracenorum furori obnoxium immaniter direptum fuit, ferroque & igni vaſtatum.

Hinc luctuoſo iterum ingruente Catholicæ eccleſiæ ſæculo, quo dirum & exitiabile ſchiſma quadraginta & ultra annorum intercapedine ſedem apoſtolicam perturbavit, uſque adeo Caſæmarii monaſterium gravi perculſum eſt calamitatis genere, ut commune omnibus Ciſtercienſis ordinis Italiæ monaſteriis pati periculum prope fuerit coactum. Illis enim in factioſorum hominum direp-

tionem duro nimis caſu cedentibus, plerique monachi ſuis deturbati ſedibus in Galliam profugi commigrarunt. Hoc vero Caſæmarii cœnobium, etſi monachis diminutum, nunquam tamen illud omnino deſeruerunt, quum ferme continuam apud veterum chartarum monumenta abbatum & monachorum ſeriem invenerim, qui illud ab ejus inſtitutione ad quartumdecimum ſæculum uſque libere adminiſtrabant. Et licet Romana curia, & Pontifex in Galliis degeret, quo ſedem apoſtolicam Clemens V. traduxit, tamen Ciſtercienſes monachi, etſi moleſtiis affecti, cœnobium poſſidebant: plura nimirum offendi donationum, aliorumque jurium inſtrumenta Johanne XXII., Innocentio VI., Urbano V., aliisque Pontificibus, qui Avenione ſedem habuerunt, ubi monachorum, & monaſterii honorificam mentionem inveni. Quin etiam plura mihi obvia fuerunt in codice annis data, quibus ſchiſma fervebat, ſcilicet milleſimo trecenteſimo nonageſimooctavo, & nono, necnon quadringenteſimoprimo, decimotertio, & decimoſexto, ubi memoratos reperi priorem Raynaldum, Antoninum de Petro item priorem & procuratorem, & Johannem abbatem. Verum quidem diuturna nimis ab Italia ſedis apoſtolicæ abſentia Caſæmarii monaſterio gravi admodum periculo fuit & detrimento: hinc enim ejus prædia occupandi, bona diripiendi, invadendi jura libertas impune facta, unde monachi tot adeo mole-

moleſtiis vexati ſunt, ut apud Pontificem Johannem XXII. querelas effundere compulſi fuerint, quibus Pontifex permotus direptorum licentiam compeſcendam curaret. Itaque Johannes de monaſterii juribus tuendis ſollicitus, apoſtolicis literis archiepiſcopo Panormitano & Teatino, necnon epiſcopo Anagnino inſcriptis præcepit, ut eorum præſidiis monachos & monaſterium juvarent, quibus a moleſtiis liberum foret, & bona, quæ injuſte occupata fuerant, reſtituta: *Sane* (ſcribit Pontifex in diplomate) *dilectorum filiorum abbatis & conventus monaſterii de Caſæmario ciſtercienſis ordinis Verulanæ diœceſis conqueſtione percepimus, quod nonnulli venerabiles fratres noſtri, archiepiſcopi & epiſcopi, abbates, & alii clerici, ceteræque perſonæ tam religioſæ quam ſæculares, necnon comites, barones, nobiles milites, univerſitates, & alii ſæculares laici civitatis & diœceſis Verulanæ, ac partium vicinarum, in quibus dictum monaſterium, & alia loca & membra eidem monaſterio ſubjecta conſiſtere dignoſcuntur, occuparunt, & occupari fecerunt præpoſituras, prioratus, eccleſias, capellas, grangias, obedientias, caſtra, caſalia, villas, domos, terras, poſſeſſiones, vineas, prata, paſcua, nemora, maneria, molendina, cenſus, redditus & proventus, penſiones, jura, juriſdictiones, & nonnulla alia bona mobilia & immobilia ad dictum monaſterium, & alia prælibata*

 ejus

ejus membra ſpectantia, *ſeu eadem detinentibus præſtant auxilium & favorem &c.* Deinde inferius: *Dictis abbati & conventui in eccleſiis*, *præpoſituris &c. multiplices injurias inferunt*, *& jacturas &c.* Quibus ſatis ſuperque conſtat quanta fuerint hoc tempore ob ſedis apoſtolicæ abſentiam monaſterii damna, quæ Pontifex Johannes in ſuo diplomate luget, unde ab illo monaſterium ſublevari merebatur, & præfatis archiepiſcopis & epiſcopo commendari. Datæ ſunt Johannis literæ *Avenione kalendis Novembris*, *Pontificatus anno ſeptimo*; quæ autographæ in Vaticano archivo ſervantur.

Elapſo deinde aliquot annorum curriculo, quibus monaſterium in deteriora labebatur, Pontifex Benedictus XII., qui Johanni ſucceſſerat, anno ultra milleſimum trecenteſimo triceſimooctavo apoſtolica auctoritate Jacobum Andreæ de Verulis monachum virum integerrimum, & literis præditum monaſterio abbatem præfecit, ſpreta monachorum electione, qui Bartholomæo deceſſori monachum alium Matthæum de Babuco ſuffecerant, quum eſſet ejusmodi electio a Pontifice Benedicto ſedi apoſtolicæ reſervata. Proſtat etiam autographum in archivo Vaticano Benedicti diploma Jacobo abbati inſcriptum, quo illum abbatem renunciat, datum *Avenione* XIII. *kalendas Aprilis*, *Pontificatus anno tertio*: necnon ſub iisdem chronologicis notis alia duo, alterum conventui monaſterii, alterum vaſſallis ejus nuncupatum.

Hinc

Hinc autem mea fert ſententia, Romanos Pontifices cœpiſſe, quum monaſterium a monachis negligi animadverterent, huic ſingulari cura providere, eique interdum abbates præficere.

Poſtea Italiæ ſede apoſtolica reſtituta, ſed gravi ſchiſmate miſerrime afflicta, Caſæmarii monaſterium plerique monachorum deſeruerunt, & ab illis monaſterii bona locata fuere, atque in alienas manus miniſterii nomine deducta. Conſtat enim inſtrumentum quoddam procurationis Johanni Landoni, & Leonardo Caſtello uti bonorum monaſterii miniſtratoribus anno milleſimo trecenteſimo nonageſimonono confectum a Johanne Seccaretia monacho Bonifacii IX. Papæ bullatore: necnon aliud locationis anni milleſimi quadringenteſimiquinti, ubi legitur: *Congregato infraſcriptorum monachorum conventu monaſterii Caſæmarii de mandato venerabilis & religioſi viri fratris Raynaldi de Babuco prioris & procuratoris generalis monaſterii ſupradicti*; ibique ſex tantum monachorum nomina referuntur.

Porro inter alia, quæ mihi tradita fuerunt, vetera ſcripta Eugenii IV. diploma offendi, *datum Romæ apud ſanctum Petrum anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimoſexto, ſecunda Februarii, Pontificatus ſextodecimo*, quod memorat Proſperum cardinalem Columnam *monaſterium Caſæmarii detinentem*, nimirum: *Proſper ſancti Georgii ad Velum aureum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis*

nalis de Columna ſanctæ Mariæ de Caſæmario Ciſtercienſis ordinis Verulanæ diœceſis monaſterium ex conceſſione ſedis apoſtolicæ detinens &c. Quamobrem firmiſſimæ opinioni eſt locus, Caſæmarii monaſterium, quod monachi adverſo acti fato negligebant, a Martino V. Pontifice, reddita eccleſiæ pace, in commendam redactum, ab eoque primum Proſpero Columnæ fratris filio, quem anno milleſimo quadringenteſimo triceſimo in ampliſſimum ordinem jampridem adlectum cardinalem vulgaverat, attributum fuiſſe: quod etiam evincit Ferdinandi Siciliæ regis reſcriptum datum Panormi anno milleſimo quadringenteſimo undeoctogeſimo, ubi Proſper cardinalis de Columna abbatiæ Caſæmarii commendatarius appellatur; nullum quippe ante Proſperum compertum habui, qui Caſæmarii monaſterio commendatarius præfuerit, quum ſuperioribus ſæculis nonniſi monachos abbatis nomine eidem libere præfuiſſe obſervaverim. Id tamen conjecturis duntaxat erui poſſe exiſtimavi, quas nobis ſuggerunt laudatæ Eugenii Papæ literæ, & Ferdinandi regis reſcriptum, quum Martini V. diploma, quo monaſterium nepoti in commendam tradidit, deſiderari ægro animo audiverim, etſi per humaniſſimum Johannem Vignolium præclariſſimi principis Philippi Columnæ regni Neapolitani Comitis Stabuli ab epiſtolis, & doctrina notiſſimum in archivo excellentiſſimæ domus perquiſitum, ubi alia plura Martini ſervantur diplomata.

At

At vero quum monaſterium Proſper cardinalis obtineret, qui anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimotertio vita ceſſit, tamen Jacobi de Tribiliano monachi nomen in chartis reperi, qui illud velut clauſtralis abbas adminiſtrabat. In inventario ſcilicet jurium & proventuum ſancti Manſi de Arpino pro Caſæmarii monaſterio, quod anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimoſecundo confectum eſt, nominatur *religioſus ac reverendus frater Jacobus de Tribiliano abbas ſacri monaſterii Caſæmarii ordinis Ciſtercienſis*. Item privilegium Nicolai IV. anni milleſimi quadringenteſimi quinquageſimitertii nonis Junii memorat *Jacobum abbatem monaſterii ſanctæ Mariæ Caſæmarii Ciſtercienſis ordinis*. Inſuper in inſtrumento quodam conventionis anni milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi ſeptimi nomen legitur *reverendi patris fratris Jacobi monaſterii Caſæmarii abbatis*. Et in charta locationis bonorum anni milleſimi quadringenteſimi ſexageſimiprimi, quam Jacobus abbas & monachi confecerunt, ita Jacobus inſcribitur: *Jacobus de Tribiliano Dei & apoſtolicæ ſedis gratia abbas monaſterii Caſæmarii*. Ejusdem præterea meminit inſtrumentum procurationis abbatis Angeli de Capua anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimonono habitæ nomine *Jacobi de Tribiliano abbatis monaſterii ſanctæ Mariæ Caſæmarii*. Et demum in alio inſtrumento anni milleſimi quadringenteſimi ſeptuageſi-

geſimiſecundi nominatur *reverendus in Chriſto pater & venerabilis frater Jacobus de Tribiliano abbas & rector ſacri monaſterii Caſæmarii Verulanæ diœceſis cupiens bona, jura, actiones, jurisdictiones dicti monaſterii, ut tenetur, manutenere, & gubernare &c.* Unde quidem puto Proſpero deinde e vivis rapto, qui, ut dictum eſt, anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimotertio mortalitatem explevit, Jacobum hunc de Tribiliano Caſæmarii monaſterio præfuiſſe velut ſedis apoſtolicæ miniſtrum (niſi dixerim quemadmodum præfuit Jacobus alter de Verulis a Benedicto XII. ob reſervationem ſibi factam adlectus) quem illi Pius II. Pontifex præfecerit, qui hoc tempore Pontificiam cathedram occupabat. Ab hinc enim abbates monachi monaſterium iterum regendum ſuſceperunt, donec illud, Sixto IV. Pontifice, ejusque omnia jura ſedi apoſtolicæ renunciata fuerunt. Id nobis teſtatum facit ejusdem Pontificis diploma ab archivo Vaticano depromptum, & Novello Caſæmarii monacho inſcriptum, qui anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimoſecundo in manu Pontificis monaſterii regimen ceſſit, quod poſtquam Jacobus de Tribiliano fatis functus fuit, abbatis nomine adminiſtrabat. Pontifex autem, admiſſa Novelli ceſſione, abbatem commendatarium renunciavit Julianum de Ruvere cardinalem fratris filium, & Novello duntaxat honeſtam ex proventibus monaſterii ab Juliano ſolven-

vendam permiſit penſionem: *Quum itaque* (ait Pontifex) *hodie tu regimini & adminiſtrationi monaſterii ſanctæ Mariæ de Caſæmario Ciſtercienſis ordinis Verulanæ diœceſis &c., quibus tunc præeras, in manibus noſtris ſponte & libere ceſſeris, nosque ceſſionem ipſam tunc admittentes monaſterium prædictum dilecto filio noſtro Juliano tituli ſancti Petri ad Vincula presbytero cardinali per eum, quoad viveret, tenendum, regendum & gubernandum ſub certis modo & forma per alias noſtras literas gratioſe commendaverimus &c., nos tibi, ne propter ceſſionem hujusmodi nimium diſpendium patiaris &c. penſionem annuam trecentorum florenorum auri de camera ſuper fructibus, redditibus, & proventibus dicti monaſterii tibi, quoad vixeris &c. per prædictum Julianum cardinalem &c. & ſucceſſores ſuos abbates ſeu commendatarios annis ſingulis &c. perſolvendum tibi auctoritate apoſtolica reſervamus, conſtituimus, ac etiam ordinamus &c.* Deinde infra: *Liceat tibi, cedente vel decedente dicto Juliano cardinali &c. ad monaſterium ipſum liberum habere regreſſum, ac ſi illius regimini minime ceſſiſſes, & per te, vel alium &c. corporalem poſſeſſionem propria auctoritate apprehendere &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſeptimo idus Decembris anno Dominicæ Incarnationis* M CCCC LXXII., *Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

Huic accedit Ferdinandi Siciliæ regis mandatum, anni milleſimi quadringenteſimi ſeptuageſimitertii, quod ipſum etiam declarat; ibique legitur: *Attento quod quum eſſet per dictum abbatem dictum monaſterium & abbatia (Caſæmarii) ſedi apoſtolicæ renunciata, Sanctitas Domini noſtri de eodem beneficio providit ipſi reverendiſſimo cardinali (Juliano de Ruvere ſancti Petri ad Vincula)*: unde ex quo Sixtus IV. Julianum cardinalem monaſterio præfecit, omnia monaſterii jura in commendatarios traducta fuerunt; qui tamen bonorum ac proventuum procuratorem & miniſtrum monachum plerunque conſtituere ſolebant.

CAPUT VI.

Divorum reliquiæ, quæ ad Caſæmarii monaſterium pertinent.

PLURES olim fuerunt Divorum reliquiæ, quibus Caſæmarii monaſterium antiquorum Pontificum largitate abunde locupletabatur: hodie pauciores ſunt, easque omnes Verulas uti tutiorem in locum anno ſupra milleſimum quingenteſimo ſeptuageſimoſecundo cardinalis Alexandrinus abbas commendatarius transferendas juſſit, & in cathedrali eccleſia ſancto Andreæ apoſtolo ſacra ſervantur, ligneique armarii, ubi conditæ ſunt, clavis altera

tera penes clauſtralem cœnobii abbatem, altera penes antiquiorem cathedralis eccleſiæ canonicum cuſtoditur. Nobiliores enumerantur caput alterutrius ſanctorum martyrum Johannis & Pauli, quod argentea in theca humani capitis forma veteri opere elaborata recluditur: item ingens portio ſanctiſſimæ Crucis, quæ in parva unius circiter palmi ex auro cruce ſuper aliam ex argento majorem palmorum longitudinis quinque, latitudinis trium poſita reconditur; eamque Johannis abbatis impendio anno milleſimo ducenteſimo nonageſimoprimo confectam fuiſſe, ejus nomen in ima parte ſculptum teſtatur: demum ſancti Matthæi apoſtoli brachium nedum carne exutum, quod argentea quoque in theca humani capitis inſtar reponitur. Crucem hanc, & brachium, cum ſacro capite annuo ritu ac ſollemni pompa, toto cleri & populi Verulani ſtipante cœtu, ipſa Aſcenſionis feſtivitate ad Caſæmarii baſilicam deferri vetus eſt conſuetudo, ubi toto die confluentium ex adjacentibus oppidis populorum copiæ venerationi exhibentur, donec ſub veſperas priſtinum in locum referantur.

Quoad alia Cœlitum ſacra lipſana, quæ ibidem Caſæmarii juris exſtant, quum eorum nomina obſcura ſint, ſingularem inſtituendum eſſe ſermonem non duxi: illa tamen, etſi authenticis careant documentis, ab antiquiſſimo tempore publico fidelium cultui exponi conſueverunt; tradunt enim

ſcriptores veterum canonum auctoritate, ut optime notavit Antonius Ricciullus archiepiſcopus Conſentinus in libro primo lucubrationum eccleſiaſticarum capite triceſimoprimo, ſi conſtet ab antiquo tempore ſacris reliquiis cultum delatum fuiſſe, etſi documenta deficiant, poſſe palam exponi.

Alia in monaſterii baſilicæ ſacrario intra ligneam capſulam ſatis rudem poſita ſunt, necnon vaſcula quatuor vitrea ex iis, quæ in Urbis cœmeteriis plerunque reperiri ſolent: quia vero authenticis carent documentis, nec conſtat unquam expoſita fuiſſe, publicæ venerationi non exhibentur.

CAPUT VII.

Elenchus eccleſiarum, quæ monaſterio ſubditæ ſunt.

INSIGNI huic monaſterio multæ antiquitus eccleſiæ ſubditæ fuerunt atque unitæ, quarum pleriſque inter monachorum infortunia deperditis, aliis temporum injuria collapſis, pauciores ſunt quæ hodie monaſterii juris ſervantur. Illas vero, quæ dirutæ ſunt, & ſolo æquatæ, enumerat brevi compendio doctiſſimus Battellus in ſupralaudato codice Actorum ſuæ viſitationis, unde earum habui nomina, quæ hic ſubjicienda putavi:

Ec-

Eccleſia ſancti Hippolyti in civitate Verulana, cujus ſolum, ubi dotem habet, Scipio Burgheſius cardinalis commendatarius Campanariæ familiæ conceſſit.

Eccleſia ſancti Viti in territorio Verulano, cujus bona ab immemoriali temporis ſerie poſſidet cathedralis eccleſiæ Verulanæ capitulum.

Eccleſia ſancti Angeli in monte Corneti in territorio montis ſancti Johannis.

Eccleſia ſancti Salvatoris in territorio ejusdem oppidi.

Eccleſia ſancti Nicolai intra caſtrum Babuci.

Eccleſia ſancti Johannis in territorio Fruſinonis.

Eccleſia ſancti Silveſtri in eodem territorio.

Eccleſia ſanctæ Crucis in territorio Anagninæ civitatis.

Eccleſia ſancti Manni prope caſtrum Caſtuli in Marſis.

Eccleſia ſancti Benedicti in territorio Arpini.

Eccleſia ſancti Angeli Meruleti in eodem territorio.

Eccleſia ſancti Nicolai in territorio Caſtri.

Eccleſia ſancti Quirici in eodem territorio.

Eccleſia ſancti Vincentii in eodem territorio.

Eccleſia ſancti Marci in territorio oppidi ſancti Laurentii.

Hacte-

Hactenus eccleſiæ, quæ deſtructæ ſunt & collapſæ, quarum tamen pleraque bona a commendatario poſſidentur.

Quo vero ad eccleſias, quæ adhuc ſuperſunt, eas inſuper hic recenſere conſonum duxi:

Præter majorem monaſterii baſilicam Deiparæ Virgini, & ſanctis martyribus Johanni & Paulo ſacram, ſervatur eccleſia ſanctæ Crucis huic proxima, quæ a monachis in uſum cœmeterii adhibetur.

Eccleſia ſanctæ Mariæ de Regimento in territorio montis ſancti Johannis.

Eccleſia ſancti Nicolai intra caſtrum Fabraterriæ Verulanæ diœceſis.

Eccleſia ſancti Vincentii intra caſtrum ejusdem nominis in Sorana diœceſi, in qua per monachum, quem monaſterii clauſtralis abbas deſignare conſuevit, animarum cura exercetur.

Eccleſia ſancti Silveſtri intra civitatem Soranam, in qua item animarum cura per monachum, quem clauſtralis abbas deputare ſolet, adminiſtratur.

Eccleſia ſanctæ Mariæ de Porta ſeu de Forma, intra oppidum Inſulæ Soranæ diœceſis.

Eccleſia & monaſterium ſancti Dominici in Sorana diœceſi.

Eccleſia ſancti Antonii veteris in ſuburbio virginum Neapoli.

Demum

Demum eccleſia & monaſterium ſancti Angeli intra caſtrum Pritii in Agrigentina diœceſi.

Quibus addere lubet duo ſimplicia, ut vocant, beneficia, quorum collatio ad commendatarium ſpectat: alterum erectum eſt in memorata eccleſia ſancti Nicolai intra caſtrum Fabraterriæ ſub eodem titulo: alterum in præfata etiam eccleſia ſanctæ Mariæ *de Porta* ſeu *de Forma* in oppido Inſulæ.

CAPUT VIII.

Bona, & jura monaſterii.

PERTINET ad monaſterium, ut ſedulo notavit ſapientiſſimus Battellus, tenuta, quam *magnam* appellant, in cujus fere medio conditum eſt monaſterium, quæ partim ſeritur, partim oleis ac vitibus conſita eſt, & rubris conſtat circiter quingentis quinquagintaocto. Ejuſdem tenutæ pars major in territorio Verulano ſita eſt: pars alia in territorio montis ſancti Johannis, & alia in territorio Babuci continetur.

In territorio Verulano poſſidet monaſterium domos tres, prædiola trigintaocto, vineas decem, oliveta tria, molendinum triticeum cum domo, & tabernam cum monaſterio conjunctam.

In

In territorio montis ſancti Johannis binas domunculas, vineas quinque, prædiola trigintaocto, oliveta tria.

In territorio Babuci domunculas duodeviginti, prædiola ſeptuagintaquinque, vineas triginta, oliveta vigintiquinque.

In territorio Fruſinonis prædiola trigintatria.

In territorio Alatrino prædiola viginti & unum, & vineam unam.

In territorio Anagnino prædiola duodecim, & unam domum.

In territorio Ferentinate prædiola quindecim, & unam domum.

In territorio Caſtri prædiola quadragintaquatuor, & unam domum.

In territorio Triviliani prædiola quatuor.

In territorio Ceperani prædiola undecim.

In territorio Pophi prædiolum unum.

In territorio ſancti Stephani prædiola vigintiſeptem, & unam vineam.

In territorio ſancti Laurentii prædiola decem.

In diœceſi Sorana poſſidet monaſterium alia ſtabilia, quæ ad cœnobium attinent ſancti Dominici, ſita ſparſim in territoriis Soræ, Arpini, Inſulæ, Caſtelluccii, Morini, ſancti Vincentii, & Morrei.

In diœceſi Capuana alia poſſidet ſtabilia.

In diœceſi Venafri viridarium, & vineam.

In

In diœceſi Seſſæ commendatarius habet jus exigendi decimas ex compluribus prædiis.

Neapoli in ejusque territorio grangiam poſſidet eccleſiæ ſancti Antonii veteris in ſuburbio virginum, ad quam canones & penſiones complurium domorum, prædiorumque, quæ Neapoli exſtant in ejusque territorio, pertinent. De hac vetuſtiſſima æde meminit Petrus Stephanus in libro de locis ſacris Neapolis, necnon Engenius Caracciolus in Neapoli ſacra, qui illam Caſæmarii monaſterio ſubditam eſſe teſtatur.

In diœceſi Agrigentina ad monaſterium ſpectat dominium directum nobilis oppidi *Pritii* nomine, quod ſeptem incolarum millibus circiter habitatur, & ſatis pingui ac fertili fruitur territorio. Hoc idem oppidum Alexander IV. Pontifex anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimoquarto una cum inclyto ſancti Angeli cœnobio, cui unitum erat, Caſæmarii monaſterio munifice adjunxit, ut ita calamitatibus, quas antea paſſum fuerat, aliqua ex parte conſuleret. Hujus unionis diploma proſtat in Caſæmarienſi chartario, & ex illo tranſumptum in alio recentiori regeſto privilegiorum & chartarum pro caſtro Pritii, mecum etiam cum aliis ſcriptis ſummi principis benignitate perhumaniter communicato: idemque abbati & conventui Caſæmarii & ſancti Dominici Ciſtercienſis ordinis Verulanæ & Soranæ diœceſis inſcriptum eſt, Johanne mona-

ſterii abbate; ejusque exordium: *Sacra ordinis veſtri religio. Datum Anagniæ tertio nonas Septembris, Pontificatus anno quinto.*

Caſtrum hoc a Matthæo Bonello ejus domino, conſentiente Margarita uxore, monaſterio ſancti Angeli a Guillelmo patre ibidem condito donatum fuerat anno ultra milleſimum centeſimo quinquageſimoquinto, menſe Decembris, indictione quinta, uti præferunt chronologicæ notæ in exordio inſtrumenti donationis adpoſitæ, quod in prænotato codice ex autographo petitum legi, cujus initium: *Inter cetera munificentiæ donativa*; datum Panormi, hiſce additis ſubſcriptionibus: *Ego Matthæus Bonella Dei & regia gratia dominus Peritii ſupraſcripta dono, offero, concedo, & confirmo. Ego Margarita uxor nobilis viri domini Matthæi ſupradicti concedo, & confirmo.* Deinde archiepiſcopi Capuani, aliorumque epiſcoporum ſequuntur ſubſcriptiones: *Ego Matthæus Capuanus archiepiſcopus interfui, & teſtis ſum. Ego Henricus Cataneinſis epiſcopus interfui, & teſtis ſum. Ego Gualterius Trojanus epiſcopus interfui, & teſtis ſum.*


Donationem hujusmodi Guillelmus rex Siciliæ duplici diplomate libentiſſime confirmavit: primum datum eſt anno ipſo milleſimo centeſimo quinquageſimoquinto, quod exorditur: *Quum pro laboribus*: alterum anno milleſimo centeſimo ſexageſimoprimo, quod incipit: *Regiam condecet majeſtatem*;

ſtatem; hinc poſt illum Fridericus rex undequadraginta poſt annos eandem donationem alio diplomate roboravit: quæ omnia cum aliis actis & inſtrumentis pro hujusmodi caſtro collectis in præfatis codicibus obſervavi. Illud Caſæmarii abbates, & monaſterium plures annos pacifice poſſederunt: verum exortis deinceps acribus diſſidiis, etiam Juliano cardinale de Ruvere monaſterii commendatario, ad ea poſtremo dirimenda Michael Bonellus cardinalis Alexandrinus commendatarius die viceſimanona Novembris anni milleſimi quingenteſimi nonageſimiſexti oppidum in emphiteuſim ad quartam generationem illuſtriſſimæ mulieri Johannæ de Villarant comitis Franciſci del Boſco uxori conceſſit pro annuo canone ſcutorum mille auri in auro Chriſti Domini natali die Romæ perſolvendo: hac inſuper præ ceteris conventione addita, ut quoties feudum ad novam generationem tranſiret, nova peteretur inveſtitura, & abbati commendatario ſcuta decem auri in auro perſolverentur. Prima autem generatio in Johanna abſoluta eſt; ſecunda in Vincentio del Boſco ejus filio, cui feudum confirmavit anno milleſimo ſexcenteſimo decimotertio, undecima Martii Scipio Burgheſius cardinalis monaſterii commendatarius; & tertia in Franciſco del Boſco Vincentii filio expiravit. Quarta & poſtrema hodie vertitur generatio in viro excellentiſſimo Joſepho del Boſco Catholicæ principe, & in excellentiſſima ejus ſorore

Anna Maria principis Arcis Floritæ conjuge explenda, qui poſtquam commune ſubierint fatum, Pritii caſtrum ad monaſterium devolvetur.

At præter illuſtre hoc oppidum, ad Caſæmarii monaſterium pro majori parte merum & mixtum imperium ſuper caſtro Babuci in Verulana diœceſi pertinebat, quod anno ultra milleſimum trecenteſimo ſexageſimoquarto, die decima Julii a Landulpho Garulla de Nobilibus monachi obtinuerunt. Verum ejusmodi dominium tum monaſterio tum ceteris ejus condominis de Philonardis, Nobilibus, & Creſcentiis Gregorius XIII. Pontifex ademit, idemque die duodecima Januarii anni milleſimi quingenteſimi octogeſimiſecundi immediatæ cameræ apoſtolicæ jurisdictioni reſtituit atque ſubjecit. Attamen ex omnibus, quæ hactenus enumeravi in diverſis ſparſim territoriis ſita, monaſterii bonis & juribus, ex generali eorum locatione percipere quotannis ſolet commendatarius quingentos & ultra aureos ſupra tria millia, addito pro caſtro Pritii canone, qui ab emphiteuta perſolvitur.

C A-



TAB II

pag 77

ICHNOGRAPHIA MONASTERII ET BASILICÆ CASAEMARII

Franc Bufalinus delin

Fran. Aquila incid

CAPUT IX.

Præſens forma monaſterii deſignatur.

QUUM hactenus vetera monaſterii monumenta, privilegia, & jura in medium attulerim, præſtat modo ædificii molem deſcribere, cujus hic ære expreſſam ichnographicam tabulam lectori ob oculos pono, idque brevi compendio expedire. Illud enim qua barbarorum direptione exciſum, qua longæva monachorum incuria deſolatum, qua nimio ſæculorum decurſu corruptum tantum primævi ſplendoris amiſit, ut nonniſi ex iis, quæ ſuperſunt ruinis, quantum fuerit conjicere liceat. Tot enim ſpectantur rudera, parietinæ, areæ, ſemidiruti aut labantes fornices, ut non monaſterii ſed honeſtæ civitatis diceres apparere veſtigia: eaque non ſine triſtis animi ſenſu anno proxime elapſo, menſe Majo coram ſuſpexi, quo me ſanctiſſimus idemque optimus Pontifex CLEMENS XI. ad Caſæmarium accedere juſſit, ut egregia illa ſacræ antiquitatis rudera oculis perluſtrarem, unde eadem oculatus teſtis ſcripto committerem: quæ ſane omnia a me perluſtrata beneficio debeo ſingulari humaniſſimi Battelli, qui ad illa circumſpectanda incredibili, qua omnes in ſui amorem allicit, benevolentia me ſecum voluit adire, meque novum hominem de ſingulis eorum

eorum monitum facere. Illuc enim diverterat cum viro integerrimo Alexandro Bonaventura magno Pontificis eleemoſynario, dum Pii Operarii ſacerdotes clariſſimæ illi Principis juſſu miſſioni vacabant, de qua late memini in hiſtoricis Monimentis ſanctorum Johannis & Pauli capite tertio, & cujus profectui atque incremento ſuam ii quoque operam de pietate ſolliciti ſedulo navabant.

Valetudinarium, noſocomium, ceteraque monaſterii domicilia penitus everſa ſunt: duo tantum dormitoria, ut vocant, inter quæ ruinoſum clauſtrum nobilis ceteroquin & elegantis admodum ſtructuræ intercipitur, adhuc exſtant; quorum alterum eſt hodiernæ Ciſtercienſium monachorum familiæ diverſorium, alterum in profanos, ſcilicet horrei, uſus a conductore adhibetur. Servantur item neceſſariæ in domeſticos uſus officinæ, ſubſtructiones, & antiquum abbatis regularis domicilium, quod a miniſtro conductoris incolitur. Celebrem olim atque ampliſſimam monaſterium habuit bibliothecam, cujus plures honorifice meminerunt, ubi præter alios lectiſſimos codices multa exſtabant, teſte vetuſto chronico apud Ughellum in tomo primo de epiſcopis Verulanis, manuſcripta volumina, quæ præcipuos ſacræ ſcripturæ libros tum novi tum veteris teſtamenti ſtudio monachorum expoſitos continebant. Adhuc tamen, ut ego præſens compertum habui, apud monachos, qui hodie in monaſterio

de-



TAB III

pag 79

PROSPECTVS BASILICAE ET MONASTERII CASAEMARII

Fran. Bufalinus del.

Fran. [illegible]

degunt, nonnulla, ſeu potius eorum aliquot veſtigia antiquo exarata charactere ſuperſunt.

CAPUT X.

Præſens forma baſilicæ deſcribitur.

HÆc quæ ſpectant ad vetus monaſterii ædificium: a quo ad baſilicæ deſcriptionem accedimus, cujus cum ipſo monaſterio exteriorem proſpectum hic in ærea tabula exhibemus. Primum ejus lapidem, quum Cencius Sabellus cardinalis, deinde in apoſtolica ſede Honorius III., illam veteri ſolo æquata inſtauraret, ab Innocentio III. Pontifice conſecratum, Geraldum monaſterii abbatem poſuiſſe conſtat ex antiquiſſimo codice membranaceo, qui ad hæc uſque tempora apud monachos ſervatur: „ Anno Domini milleſimo ducenteſimotertio, epa- „ cta ſexta, indictione ſexta currente, pridie nonas „ Maii, Pontificatus domni Innocentii Papæ III. „ anno ſexto poſitus eſt lapis primarius in nova „ baſilica Caſæmarii per manus domni Geraldi „ ejusdem monaſterii reverendi abbatis a prædicto „ ſummo Pontifice traditus & ſacratus.

Aggrediendo itaque baſilicæ deſcriptionem, cujus ingens ædificii moles, & veneranda antiquæ ſtructuræ imago reverentiam ingerit intuentibus, & cujus partes barbarorum furori adhuc ſuperſtites


hilari

hilari animo circumſpexi, ne temere aliena compilem ſcrinia, exſcribere lubet quicquid eruditiori, elegantiorique calamo de illa ſcripto mandavit illuſtriſſimus Battellus a nobis nunquam ſatis laudatus, qui in præfatis Actis viſitationis abbatiæ ſingulas ejusdem partes accuratiſſime deſignavit: [Templi facies (inquit) ex lapide perpolito nullis fucata ornamentis occidentem reſpicit, cui objacet fornicata porticus tribus arcubus innixa. Ad porticum aſcenditur per ſcalam vigintiduorum graduum ex prægrandibus, quadratisque lapidibus ſplendide excitatam. Janua major cælatura inſignis, ſupra quam Scipionis cardinalis Burgheſii gentilitium ſtemma conſpicitur.

Baſilicæ corpus, cujus ichnographicam tabulam hic obiicimus, in ternas rectas naves dividitur, quod a ſummo obliqua navis interſecat, apſidem, & quatuor ſacella conſtituens: media, atque obliqua arcuatæ & ſublimiores; reliquæ laterales demiſſiores, omnes vero concameratæ. Ad apſidis umbilicum ara maxima aſſurgit, ad quam aſcenditur per tres gradus: bina alia ſacella prope finem utriusque navis lateralis præter illarum ordinem conſtructa ſunt. Pilas æquo ſpatio interjectas, quibus media navis incumbit, utroque latere eminentes columnæ ſupra ſtereobatas diſpoſitæ exornant. E columnarum epiſtyliis binæ faſciæ lapideæ aſſurgunt, quæ ſingulos arcus in crucis ſpeciem ambientes ab altero

in

TAB IV



ICHNOGRAPHIA BASILICAE CASAEMARII

Fran. Buſelinus delin

Franc Aquila incid.

in alterum projiciuntur, augentque fornici præſidium & decus. Parietes contractior cingit corona, univerſum opus conſtat quadrato lapide ſolidiſſimo nonnihil vermiculato.

Eccleſiæ itaque ſpecies, ſi naves laterales dempſeris, in crucis latinæ ſimilitudinem conformatur. Navis media in longitudinem nonaginta paſſuum & ultra protenditur, & qua a transverſa navi interſecatur patet in latitudinem paſſuum quinquaginta. Omnes vero naves a janua maxima uſque ad navim transverſam triginta paſſuum latitudinem non excedunt. Septem in ea erecta ſunt altaria, quorum maximum in capite navis mediæ ad abſidis umbilicum e regione januæ maximæ, & ad illud aſcenditur per tres lapideos gradus ſupra eccleſiæ pavimentum excitatos: dicatum eſt Deiparæ Virgini, cujus icon depicta creditur manu illuſtris pictoris equitis Joſephi Arpinatis, & ab eo exemplata ab alia originali icone depicta a Raphaele Sanctio Urbinate pictorum facile principe: quam hinc abſtuliſſe fertur abbas commendatarius ejus temporis, ſubſtituto exemplari. Refert illa beatiſſimam Virginem cum manibus junctis, necnon puerum Jeſum, & ſanctum Johannem-baptiſtam ſimul ludentes, & in proſpectu depicta conſpicitur effigies ſancti Franciſci Aſſiſienſis ſtigmata in monte Alverniæ recipientis una cum ſocio Rufino. Appenſa eſt icon ſupra altare ſecus tabernaculum, & ſuſtinetur alio ornamento gran-

diori ligneo decenter picto, quod eſt formæ quadratæ oblongæ, & menſæ altaris innititur. Ara tota lapidea & ſatis ampla quaternis parvis columnis lapideis a parte anteriori, & totidem a parte poſteriori ſuſtinetur. Caret lapide ſacro, nullaque exſtant ſigna illius conſecrationis, ſed adſervatur apud monachos antiquum monumentum in pergameno, quod conſecrata fuerit ab Hortenſio Baptiſta antiſtite Verulano die XVII. Decembris anni M D LXXIII., & ipſamet die altare viſitantibus ab eodem epiſcopo conceſſa fuerit indulgentia quadraginta dierum in forma conſueta. Sub eadem ara reconditum traditur venerabile corpus ſancti abbatis Joachimi, ſed fama incerta. Ab utroque latere altaris in pavimento lateritio fixa ſunt bina candelabra ferrea antiquæ formæ argento per cælaturas inſito exornata, quibus cerea intorticea in miſſis ſollemnibus ad elevationem Sanctiſſimi imponuntur.

Alia hinc quatuor altaria in navi transverſa, nempe bina a latere euangelii, & bina alia a latere epiſtolæ ejusdem altaris majoris ex ordine diſpoſita conſpiciuntur, & bina alia prope finem utriusque navis lateralis: a latere epiſtolæ alterum habet iconem ex tela picta referentem myſterium nativitatis ſanctiſſimi Domini noſtri Jeſu Chriſti cum coronide lignea picta antiquæ formæ & minus decenti: alterum dicatum ſancto Johanni-baptiſtæ, quod ad inſtar aliorum ſub arcuato fornice lapideo exſtructum

eſt,

eſt, habet iconem cum coronide ex ligno in tela pictam referentem myſterium ſancti Præcurſoris Chriſtum baptizantis in Jordane. Menſa altaris tota lapidea & ampla, in qua a latere epiſtolæ majoribus ſed rudibus literis ſculpta conſpicitur ſequens inſcriptio:

Die Lunæ XXII. *Junii*
M D VI.
Fuit hic
Petrus Johannes Caſella.

Sequitur ab eodem latere epiſtolæ altaris majoris altare ſancti Caroli Borromæi conſtructum ſub fornice arcuato inter ſcalam, qua ab eccleſia aſcenditur in dormitorium monachorum, & januam lateralem, quæ ducit in clauſtrum monaſterii. Excitatum aſſeritur proprio ære devotionis cauſſa a Deſiderio Moreto Arpinate, cujus hæredes ignorantur. Habet iconem in tela pictam cum effigie ſancti titularis cum fune collo alligata, & a parte ſuperiori picta eſt imago angeli enſem mittentis in vaginam; ideoque exprimere videtur myſterium peſtilentiæ, quæ Mediolanenſem urbem afflixit, ſanctiſſimi Præſulis oratione ſedatæ & extinctæ. Primum in ordine a latere euangelii altaris majoris e regione navis lateralis erectum eſt altare ſancto Matthæo apoſtolo dicatum ſub fornice arcuato lapideo conſimili aliis

 alio-

aliorum ſacellorum. Habet iconem in tela pictam cum imaginibus ſancti apoſtoli titularis, & angeli, in cujus inferiori parte depicta conſpiciuntur inſignia claræ memoriæ cardinalis Franciſci Barberini, qui eam conficiendam curavit. Icon ipſa decenti coronide lignea picta decoratur, quam aliud ornamentum in pariete depictum nobilitat & exornat, ſupra quod grandioribus literis in ipſo pariete efformatum eſt diſtichon ſequens:

Omnia poſſideat, non poſſidet æthera mundus,
Matthæus ſanctus poſſidet aſtra pede.

Sancti apoſtoli titularis memoria præcipua veneratione recolitur ob inſignem ejus corporis partem, nempe brachium, nedum carne exutum, quo eccleſia nobilitatur, ac ipſo feſti die habentur nundinæ apud monaſterium frequentiſſimo adjacentium populorum concurſu. Sequitur ab eodem latere euangelii altaris majoris ſecundum in ordine altare ſancti Joſeph, quod ad inſtar aliorum ſub arcuato fornice lapideo exſtructum eſt. A latere epiſtolæ ſub pavimento olim tumulatum aſſeritur cadaver cujusdam nobilis advenæ defuncti morbo epidemiæ, cujus nomen ignoratur, & in capite ſepulcri ex cæmentis atque lateribus exſtructi, quod e pavimento ad palmum circiter extollitur, poſitus eſt lapis his literis ſculptus: *M. D. P.* Poſtremum in ordine a cornu euan-

euangelii altaris majoris eſt altare dicatum ſanctis Benedicto & Bernardo, quod ſub arcuato fornice ad inſtar reliquorum e regione altaris ſancti Caroli exſtructum eſt]. Hæc baſilicæ altaria Pontifex beneficentiſſimus CLEMENS XI., dum adhuc Cardinalis honore fungebatur, qua deſtructa reſtituit, qua labefactata expolivit, omnemque baſilicam ingenti ſumptu magnifice reparavit.

[Pavimentum (idem auctor proſequitur) communibus lateribus ſtratum, abbatiam obtinente Franciſco cardinali Barberino, cujus gentilitiæ apes plerisque lateribus impreſſæ opus exornant. Nullum in tota eccleſia ſepulcrum cernitur: monachi enim antiquis temporibus tumulari conſueverant in cœmeterio conjuncto cum eadem eccleſia muro undequaque circundato, cujus adhuc veſtigia manent. Præter januam majorem navi mediæ reſpondentem tres aliæ exſtant januæ minores, e quarum altera majori proxima patet ingreſſus in navem lateralem ſiniſtram, altera ſita eſt ſub navi laterali dextera prope illius finem, quo datur egreſſus in clauſtrum monaſterii: tertia demum ab eodem latere conſtructa eſt in capite ſcalæ, per quam aſcenditur ad dormitorium monachorum. Lumen eccleſia ſatis ſuperque recipit per quindecim feneſtras vitris ſpecularibus munitas: plures aliæ, quæ plane abundare videbantur, muro olim obſtructæ atque præcluſæ fuerunt, mandante cardinali Alexandrino nuncupato

abbate

abbate commendatario: ex præfatis feneſtris quatuor majores formæ orbicularis ſatis elegantis in quatuor angulis navium mediæ & transverſæ conſtructæ ſunt, ſupra quas ingentes cruces rubro colore in pariete pictæ conſpiciuntur, ſigna & argumenta ſollemnis eccleſiæ conſecrationis. Juxta ſecundum arcum navis mediæ ad dexteram in eccleſiæ ingreſſu collocatum eſt magnum vas lapideum in uſum aquæ ſanctæ antiqui & rudis operis. Prope quartum arcum ejusdem navis mediæ ab oppoſito latere fere in medio totius eccleſiæ ambitu excitatus eſt ſuggeſtus concionatorius lapideus antiquæ ſed nobilis in primis & elegantis ſtructuræ, ſub quo bina jacent conditoria concamerata, ubi antiquis temporibus ſacri libri cuſtodiebantur, quos pro veteri eccleſiæ more e ſuggeſtu recitari oportebat.

In angulo ſiniſtro transverſæ navis contra ſacrarium intra parietem exſtructa eſt ſcala lapidea cochlis nobilis operis & percommoda, qua aſcenditur ad turrim campanariam, atque etiam ad fornicem navium mediæ & transverſæ, ac earum tectum. Alia prorſus conſimilis ſcala exſtat prope januam majorem eccleſiæ ſub ingreſſu navis dexteræ, qua datur acceſſus tum ad fornicem porticus & utriusque navis lateralis, tum etiam ad illarum tecta]. Hinc ad campanariæ turris deſcriptionem accedens: [Turris campanaria (ait) excitata eſt ſuper ultimo arcu mediæ navis ante fornicem navis transverſæ.

Magni

Magni quadrati lapides molem componunt; uſque fere ad medium ſupra eccleſiæ tectum per quadraginta palmos extollitur, & uſque ad eam altitudinem quadrata forma conſtat. Ab inde vero ſupra opus contrahitur in ſpeciem conopei ad altitudinem triginta palmorum circiter, quod extrinſecus quadrati lapides majolicati variorum colorum ex ordine diſpoſiti præcingunt pariter, & exornant. Magna crux ferrea in ſummo vertice collocata molem ipſam coronat. Binas habet campanas æneas, alteram majorem librarum ter mille circiter, quam Franciſcus cardinalis Barberinus quadraginta & ultra ab hinc annis fundendam curavit, alteram minorem antiquiſſimam librarum fere mille, quæ magnis trabibus ſuſtentatur, earumque funes pendent in eccleſiam ſupra pavimentum, e quo pulſari ſolent].

CAPUT XI.

Deſcribuntur binæ aliæ eccleſiæ circa baſilicam poſitæ.

EXACTA baſilicæ deſcriptione, mox eruditiſſimus Battellus eccleſiam ſanctæ Crucis, quæ prope ſita eſt, & cujus proſpectum habes in tabula tertia, deſcribendam ſuſcipiens: [Jacet (infit) inter antiqui monaſterii rudera eccleſia ſanctæ Crucis, & decem circiter paſſibus diſtat a muro eccleſiæ abba-

abbatialis. Unica conſtat navi formæ quadratæ oblongæ quindecim paſſuum circiter in longitudine, & octo fere in latitudine, nudoque tecto tegitur. Habet unicum altare e conſpectu januæ conſtructum ſub parva nicie, cum ara lapidea & piis imaginibus pro icone in muro depictis in eadem nicie, quæ ab aqua pluvia ita corruptæ & deformatæ fuere, ut quid referant diſcerni non poſſit. Pavimentum ſignino opere, quod aſtricum vocant, ſtratum eſt; binæ in eo exſtructæ ſunt ſepulturæ, quarum altera propior altari deſtinata eſt pro monachis tantum, in altera, quæ eſt contigua januæ, promiſcue laici utriusque ſexus tumulantur, quoties apud hoc monaſterium eos commune fatum ſubire contingat. Ceterum in hac eccleſia nunquam celebratur, & adhibetur duntaxat in uſum cœmeterii, quo etiam nomine communiter a monachis nuncupatur].

Hinc ad alteram, quæ longius adſtat, eccleſiam ſanctæ Mariæ, quam de Regimento vocant, gradum faciens: [Diſtat (inquit) quingentis circiter paſſibus a monaſterio ſuper edito colle eccleſia ſanctæ Mariæ de Regimento abbatiali eccleſiæ unita. Sunt qui referant hujus eccleſiæ primordia ad antiquiſſimos monaſterii fundatores, qui loci opportunitate invitati primam hanc ſedem religioſo receſſui delegerint. Ceterum ſacra hæc ædes unica conſtat navi paſſuum vigintiquatuor circiter in longitudine, & octo fere paſſuum in latitudine, nudoque

tecto

tecto tegitur. Pavimentum lateritium tribus inæqualibus planis diſtinguitur, quod lapideis ſedilibus juxta laterales parietes conſtructis undequaque ſepitur. Supra januam in pariete interiori depicta cernuntur inſignia claræ memoriæ Franciſci cardinalis Barberini cum hac inſcriptione:

D. O. M.
Templum hoc
Deiparæ dicatum
Ex vetuſtate collapſum
Franciſcus cardinalis Barberinus
Sanctæ Romanæ eccleſiæ Vicecancellarius,
Abbas & perpetuus commendatarius
Reſtituit,
Ac ſacris iconibus decoravit
Anno Domini M DC LXVI.

Ab eccleſiæ pavimento per ſcalam lapideam in ejus medio conſtructam deſcenditur in capellam ſubterraneam concameratam, & circumquaque piis imaginibus in muro pictis antiquiſſimi operis exornatam, ubi exſtat parva menſa lapidea in uſum altaris cum iconibus beatæ Virginis, & Filii deſuper in muro pictis]. Hucuſque ſapientiſſimus Battellus Caſæmarienſem baſilicam, & proximas ſacras ædes deſcripſit.

CAPUT XII.

Priorum abbatum ſeries, qui monaſterium rexerunt.

ABsoluta Caſæmarii baſilicæ, & ſacrarum ædium, quæ circumpoſitæ ſunt, deſcriptione, præſtat ſubnectere priorum abbatum ſeriem, qui monaſterio ab ejus fundatione præfuerunt uſque dum Ciſtercienſis ordinis inſtituta ſuſcepit, eamque e Caſæmarienſi chartario depromptam vulgare, unde nonnulla, quæ monaſterium ſpectant, antiqua monumenta prodibunt.

Primum itaque ante omnes, qui monaſterium abbatis nomine adminiſtraverit, Benedictum fuiſſe præfatus codex etiam apud Cardinalem Baronium teſtatur: „ Et non multum poſt (verba ſunt codicis) „ quatuor ex ipſis, ſcilicet Benedictus presbyter, „ Johannes presbyter, Urſus presbyter, & Azzo „ presbyter euntes &c. indeque in locum jam di„ ctum redeuntes, abbatem unum de ſuis ſibi ele„ gerunt, Benedictum virum religioſum, qui fuit „ natus in dicta civitate Verulana. Deinde paucis interpoſitis: „ Ipſe abbas (ſequitur) in quantum „ valuit, loco eidem & fratribus deſervivit, acqui„ ſitis terris, plantatis vineis, ſcriptis libris, factis „ paramentis eccleſiaſticis, inſtetit manſionibus ſe-

„ ſecundum tempus & poſſe ſuum. Mox infra: „ Poſt vero annos aliquot tranſiens ad eremiticam „ vitam, cuidam ſuo religioſiſſimo viro atque ſtu„ dioſiſſimo monacho, nomine Johannes de Veru„ lis, abbatiam relinquens, in montibus, & in ma„ rinis inſulis multa ſuſtinuit; ad ultimum in Fun„ danam deveniens terram in loco, ubi eſt eccleſia „ ſancti Andreæ ...., ibique migravit ad „ Dominum. In quo loco, meritis obtinentibus, ei „ operatus eſt Chriſtus quædam miracula ad lau„ dem & gloriam nominis ſui.

Alter igitur monaſterii abbas fuit Johannes, de quo hæc codex: „ Venerabilis abbas Johannes „ natus de honeſtis parentibus in civitate Verulana, „ & timore & amore Dei ſemper creſcendo, ad „ presbyterii pervenit honorem: deinde cum ſupra„ dicto patre Benedicto in monaſteriali ordine edu„ catus, & quem ipſe prudentiſſimum cernens, tra„ dito ei regimine monaſterii cum fratrum conſi„ lio & voluntate, ipſe, ut diximus, contemplativæ „ adhæſit perfectioni. Suſcepta autem abbatia tem„ poribus domni Benedicti * Papæ primum quidem „ ampliavit eccleſiam, quæ parva erat, in altitu„ dine & longitudine, quam depingere fecit cum „ tabulato, quod ſuper fecerat, pulcris & variis „ coloribus: in qua ſine majori altari tria altaria „ ſtatuit, quæ & dedicari fecit a vicinis Campanis „ epiſcopis; primum in abſide in honorem ſan-

* Benedicti IX.

 cti

„ cti Benedicti, ſecundum in honorem ſanctæ Ma-
„ riæ, tertium in honorem ſancti Petri: fecit iti-
„ dem eccleſiæ feneſtras vitreas pulcris coloribus
„ pictas, fecit librosque plures, paraturas diviſas
„ ad officium divinum peragendum, calices duos
„ argenteos, thuribula duo argentea. Fecit ſuper
„ altare ſanctorum Johannis & Pauli ciborium, &
„ ambonem &c. Fecit duas cruces ligneas maxi-
„ mas, pictas pulcris coloribus, fecit campanile,
„ & campanas octo ſeveras & optimas, conſtruxit
„ officinas, acquiſivit caſas, vineas, ſilvas &c.
aliaque bona, prædia, eccleſias, & jura codex enumerat, quæ omnia exſcribere longioris eſſet operæ: tamen inter eccleſias monaſterio acquiſivit eccleſiam ſanctæ Mariæ, quam vocant *de Regimento* nuper deſcriptam, cujus præ aliis placuit meminiſſe. Primus abbatum omnium fuit Johannes, qui a Nicolao II. Pontifice præceptum libertatis monaſterii obtinuit: idemque defuncto Placido Verulano epiſcopo meruit ob virtutum præſtantiam, ut clerus & populus Verulanus eum ſibi in paſtorem elegerit, & Alexander II. Pontifex in epiſcopatu confirmaverit, cui menſes decem præfuit, quum annos quadraginta monaſterium rexiſſet.

Tertio loco abbas monaſterium adminiſtravit Urſus monachus, de quo item codex hæc habet:
„ Hic natus de civitate Verulana, qui temporibus
„ ſupradicti abbatis Johannis decanus monaſterii
fue-

„ ſuerat, qui poſtea factus eſt abbas; & acquiſivit „ eccleſiam unam vocabulo ſancti Stephani *in fundum* in territorio Verulano juxta caſtrum Babuci „ cum terris, vineis, caſis &c. aliaque monaſterio jura, & prædia acquiſiviſſe memorat, & ab Alexandro II. præceptum libertatis monaſterii impetraſſe: Mox ſequitur: „ Denique veniente eo ad decrepitam „ ætatem, depravari cœpit regularis ordo monaſterii, quod ipſe emendare neglexit; quamobrem „ Albertus Verulanus epiſcopus, & reliqui barones „ ipſius terræ petierunt a magno principe Jordano, „ qui illis temporibus præerat Campaniæ, pariterque ab epiſcopo Oſtienſi nomine Odo, qui poſtea „ Papa Urbanus vocatus eſt, ut abbatem poneret, „ qui monaſterii, monachorumque curam haberet. „ Itaque Pontifex ſupradictus (ſcilicet Alexander II.) & reliqui cardinales, pariterque princeps petitioni eorum annuerunt, & facto conventu in caſtro, quod vocatur ...., ubi „ adfuit abbas ſancti Benedicti, & Albertus epiſcopus Verulanus, & Lambertus epiſcopus Alatrienſis, & abbas ſancti Laurentii de Averſa, „ & clericorum laicorumque innumerabilis multitudo, ubi ſupradictus abbas Urſus veniens refutavit coram omnibus abbatibus in manu domini „ Oſtienſis epiſcopi. Poſt ii cœperunt de monaſterii ordinatione tractare, conſilioque inito, elegerunt communi conſilio petendum a principe

&

„ & ab abbate ſancti Laurentii de Averſa dari
„ ſibi ...... ad ordinandum abbatem, quorum
„ petitionibus annuentes, datus eſt eis religioſiſ-
„ ſimus presbyter & monachus nomine Auguſtinus
„ ſanctæ converſationis, vir boni meriti.

Quartus ergo ſuccedit Auguſtinus: „ qui
(ait codex) natus fuit de Capuana civitate ex claris
„ parentibus, qui quum puer huc eſſet literis im-
„ buendus in jam dicta civitate tradiderunt. Inſpi-
„ rante eo Spiritu ſancto, venit ad monaſterium ſan-
„ cti Laurentii ſitum Averſæ, ſeque monachum fieri
„ rogavit. Accepto tandem ſanctæ converſationis
„ habitu, ibi ſub abbatibus regulariter viventibus
„ annis militavit quampluribus, prioratum prædicti
„ monaſterii tenuit, cauſſamque eccleſiaſticam bene
„ pertractans, ab omnibus honorabatur, & ama-
„ batur a terræ illius magnatibus. Poſtquam autem
„ diſponente Deo, cujus nutu omnia reguntur &
„ aguntur, ad curam, ut diximus, animarum eſt
„ electus; veniens ad monaſterium Caſæmarii cum
„ epiſcopis prædictis, abbatibus, & principe, & cum
„ multitudine clericorum & laicorum, & receptus
„ eſt a congregatione, factusque eſt abbas*. Urſum
„ nanque ſupradictum abbatem honeſtiſſime tra-
„ ctavit, quandiu ſupervixit, quo mortuo, hono-
„ rifice tradidit ſepulturæ. Monachis autem liber-
„ tatem abſtulit, & ſecundum regulam vivere fecit
„ in omni bona religione. Ad cujus magiſterium

* Anno 1088.

ex

„ ex diverſis partibus multi veniebant: crevit autem „ ſub eo congregatio bonorum clericorum, & factus „ eſt pater quadraginta & eo amplius monachorum. Hinc ad beneficia, quibus Auguſtinus monaſterio profuit, gradum faciens codicis auctor: „ Conſtruxit „ autem (proſequitur) a fundamentis domum ma„ gnam & amplam, cœnacula pro dormitorio fra„ trum &c. Fecit clauſtrum monachis pulcrum & „ amplum. Datæ ſunt illi eccleſiæ duæ in ordina„ tione ſua a domno Odone Oſtienſi cardinali epi„ ſcopo, & a domno Alberto Verulano epiſcopo „ pro augmento & utilitate monaſterii, ſcilicet ec„ cleſia ſancti Johannis, quæ dicitur...... juxta „ montem ſancti Johannis, & eccleſia ſancti Lau„ rentii, quæ eſt poſita juxta caſtrum Babuci cum „ omnibus earum pertinentiis. Fecit fieri crucem „ unam de argento puriſſimo deſuper auratam, „ penſantem libras tres; fecit fieri in eccleſia ana„ logium pulcrum ligneum anaglyphatum: fecit „ fieri & columnam ligneam pro cereo &c. aliaque ſubdit ſacra munera, quibus eccleſiam donavit. Deinde: „ Congregavit in civitate Verulana quaſ„ dam religioſas feminas timentes Deum, & ſanctæ „ converſationis ducentes vitam in abſtinentia & „ timore Domini. Hunc vero ab Urbano II. Pontifice anno milleſimo centeſimoſexto ad Ferentinatem infulam aſſumptum fuiſſe, quæ ſuperius a nobis in capite ſecundo traditaſunt, abunde ſignificant.

Quin-

Quintus ſequitur monaſterii abbas poſt Auguſtinum Johannes, qui tres prope annos ejus regimen habuit.

Sexto loco Johanni ſuffectus eſt Placidus, quem anno milleſimo centeſimo decimo Paſchalis II. Pontifex epiſcopum Ferentinatem renunciavit.

Septimus ſuccedit Amatus, qui anno milleſimo centeſimo ſextodecimo monaſterii regimen dimiſit.

Octavum cœnobii abbatem Benedictum, eundemque annos trigintaquatuor præfuiſſe monet codex, & chronicon Johannis de Ceccano apud Ughellum in præfato capite ſecundo a nobis laudatum. Idem autem Caſæmarienſe chartarium poſt Benedicti abbatis nomen, cauſſam & tempus aperit, quo monaſterium Ciſtercienſe inſtitutum arripuit: „ Anno (ait) milleſimo centeſimo quadrageſimotertio monachi nigri facti ſunt ita inſolentes & „ inhoneſtæ vitæ, & immemores propriæ ſalutis, „ quod Eugenius III. rediens de ultra montibus, „ qui celebraverat concilium apud Remenſem ur„ bem, invenit monaſterium Caſæmarii a dictis mo„ nachis magis violatum, deſtructum, & dirutum, „ & tunc reædificare cœpit, & intromiſit monachos „ Ciſtercienſis ordinis anno milleſimo centeſimo „ quinquageſimoſecundo: & multa bona obtulit „ monaſterio pro ædificatione, & ſic prædicto anno „ per Eugenium III. venit ordo Ciſtercienſis in

Caſæ-

„ Caſæmarium. Sic in codice, cujus auctoritate ſatis ſuperque compertum habemus, revera Eugenii III. Pontificis opera, quod apud ſcriptores non ſatis liquet, Caſæmarii monaſterium Ciſtercienſis ordinis inſtituta amplexum fuiſſe.

Hæc demum, quæ ſpectant priores monaſterii abbates, quorum monumenta e tenebris nunc primum eruta optimo codici debemus: quoad alios vero, poſtquam cœnobium Ciſtercienſibus traditum fuit, perquam difficile eſt continuam omnium attexere ſeriem, quum ſparſim apud vetera ſcripta aliquot duntaxat eorum nomina exploraverim.

CAPUT XIII.

Abbates commendatarii enumerantur, qui Caſæmarii monaſterio præfuerunt.

USQUE adhuc producta priorum abbatum ſerie, aliam eorum ſubdere exiſtimavi, quos uti commendatarios monaſterio præfuiſſe reperimus. Verum etſi perſpicua non adeo ſint monumenta, quibus planum fiat a quonam Pontifice monaſterium in commendam redactum fuit, tamen, ut in ſuperioribus diſſerui, omnes in meam venire ſententiam puto, primum a Martino V. Pontifice Proſpero Columnæ nepoti commendatum fuiſſe. Proſper itaque Romæ natus clariſſimo genere, ex

protonotario apoſtolico a patruo Pontifice anno milleſimo quadringenteſimo viceſimoſexto ad purpuram cum diaconia ſancti Georgii evectus eſt, & duos tantum poſt annos vulgatus. In purpuratorum ſenatu annos trigintaſeptem cum laude vixit, & tres Romanos Pontifices Nicolaum V. Calixtum III. & Pium II. Romanæ eccleſiæ archidiaconus ſacro diademate ornavit. Lateranenſis baſilicæ archipresbyter Johanni Clivenſi duci Philippi Burgundiæ ducis oratori, Pontificem Mantuæ commorantem adeunti una cum Latino Urſino cardinale in occurſum fuit. Mantua hinc Venetias accedens, inter patricios nobiliſſimæ civitatis adſcriptus eſt. Romæ demum anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimotertio fatis ceſſit, in baſilica ſanctorum duodecim Apoſtolorum tumulo traditus. Proſpero cardinale Caſæmarii commendatario, ut ſupra notatum eſt, clauſtralis abbas fuit clariſſimus Jacobus de Tribiliano, qui poſtquam Proſper occubuit, forſan ſedis apoſtolicæ nomine, ad obitum uſque abbatiam libere adminiſtravit, quum poſt illum ad Sixti IV. tempora nullum monaſterio commendatarium præfuiſſe obſervaverim. Jacobo mox defuncto, Novellus monachus monaſterium regendum ſuſcepit: quo deinde ſe abdicavit, Sixto IV. Pontifice, ut palam teſtatur ejusdem diploma in ſuperioribus memoratum. Hinc Sixtus Pontifex poſt Novelli abdicationem, Julianum

num de Ruvere cardinalem monaſterio præfecit. Julianus, ut probatæ fidei ſcriptores referunt, Savonæ natus Raphaelis Sixti fratris filius ex epiſcopo Carpenctoratenſi anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimoprimo inter presbyteros cardinales titulo ſancti Petri ad Vincula a Sixto patruo adlectus fuit, & inſula donatus Avenionenſi. Virdunenſem inſuper epiſcopatum, Lauſanenſem, Vivarienſem, Mimatenſem, & Catanienſem: necnon Sabinenſem, Albanenſem, & Oſtienſem rexit eccleſias; & præter Caſæmarii monaſterium, commendatarius Nonantulano, & ſanctæ Mariæ de Crypta ferrata præfuit cœnobiis. Legatione bis functus eſt ſedis apoſtolicæ nomine in Marchia Anconitana, in Patrimonio, Spoletano ducatu, & Æmilia; item Maſſam Trabariam, præſidatum Farfenſem, Avenionenſem civitatem, & comitatum Vindaſcinum etiam legatus gubernavit. Gallica deinde legatione auctus Romanæ eccleſiæ negotia ſedulo procuravit: ab illa mox redeuntem ad portam Flaminiam novo more cardinalium collegium excepit. Petro Riario cardinale e vivis ſublato, majoris pœnitentiarii munere honeſtatus, epiſcopatu Bononienſi, & legatione inſignitus, porticum ante principem eccleſiam magnifice exſtruxit, ibique anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimoſeptimo, perfecto opere, ſuæ gentis inſignia, hac addita epigraphe, impoſuit:

Sedente Innocentio VIII.
Pontifice Maximo,
Pontificatus ſui anno tertio
Julianus
Epiſcopus Oſtienſis,
Cardinalis ſancti Petri ad Vincula
Sanctæ Romanæ eccleſiæ
Major pœnitentiarius,
Et epiſcopus Bononienſis
Condi juſſit
Anno ſalutis
M CD LXXXVII.
Procurante
Philippo Lucenſi
Urbinate locumtenente,
Et vicario generali.

Legatus quoque cum Georgio Coſta cardinale Luſitano ſacrum Lanceæ Chriſti Domini ferrum Narniæ excepit, & Romam deduxit, cujus translationis hiſtoriam coloribus in Vaticano eleganter expreſſam, hisque inſcriptionibus explicatam habemus:

Sacrum ferrum
Reverenter excipitur Narniæ
A duobus cardinalibus
Legatis apoſtolicis.

De-

Deinde:

Duo cardinales
E Narnia
Romam Lanceam deferunt.

Magnificentia oblectatus, caſtrum apud Cryptam ferratam ad cœnobii tutelam ædificavit, porticum ante baſilicam ſanctorum duodecim Apoſtolorum exſtruxit, eamque ſarcivit, quam ampliori ſtructura brevi a fundamentis reſtitutam videbimus. Sancti Petri ad Vincula titularem ædem, aliaque Urbis templa ſumptu maximo inſtauravit. Demum clariſſimis muneribus omnium cum laude functus, ad majora vocatus, poſt breve Pii III. Pontificis imperium unanimi patrum ſuffragio Julii II. nomine Pontifex renunciatus, ingenti Romanæ eccleſiæ beneficio ſedit annos ultra novem, ejusque memoriæ nobiliſſimum monumentum a præſtantiſſimo ſculptorum Michaele Angelo Bonarota in præfata eccleſia ſancti Petri ad Vincula elaboratum ſpectamus.

At Julianus poſtquam iniit Pontificatum, de novo abbate Caſæmarii monaſterio præficiendo cogitavit. Et ſtatim in Ludovicum Aragonium ampliſſimum cardinalem mentis aciem intendit, quem merito commendatarium declaravit. Plura id teſtantur

ſtantur diplomata, & inſtrumenta in præfatis codicibus ſervata, ubi inter alia hæc tantum notanda duxi: *Reverendiſſimus & illuſtriſſimus in Chriſto pater & dominus Aloyſius de Aragona miſeratione divina tituli ſanctæ Mariæ in Coſmedin cardinalis de Aragona vulgariter nuncupatus, dicti reverendiſſimi domini cardinalis ſancti Petri ad Vincula dicti monaſterii ſanctæ Mariæ de Caſæmario olim perpetui commendatarii, & Pontificis nunc maximi in eodem monaſterio ſucceſſor &c.* idemque aliæ evincunt Julii Pontificis literæ anno ſupra milleſimum quingenteſimo quinto cardinali Aragonio inſcriptæ, ubi Caſæmarii monaſterii commendatarius nominatur. Is Ferdinandi Siciliæ regis filius ex protonotario apoſtolico anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimoſeptimo ab Alexandro VI. Pontifice diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin renunciatur. Legionenſi epiſcopatu in Hiſpania decoratus, mox Neritonenſi, Cavenſi, & Hieracenſi in Italia, & præter Caſæmarii monaſterium alio Montis virginis cumulatus, Romæ vita ceſſit anno milleſimo quingenteſimo undeviceſimo, ſepultusque in æde ſanctæ Mariæ ſuper Minervam, hiſce tumulo inſcriptis notis, quem Franciſcus Urſinus cardinalis ex teſtamento optimi principis memoriæ poſuit:

Aloyſio

D. O. M.

Aloyſio
Cardinali Aragonio
Regum Neapolitanorum Ferdinandi
Filio,
Alphonſique prioris
Nepoti,
Qui vixit annos XLV.
Menſes IV.
Dies XIV.

Franciſcus cardinalis Urſinus
Ex teſtamento faciundum curavit
Anno MDXXXIII.

Vetuſti codicis, aliorumque diplomatum auctoritate perceptum habui Julium II. Pontificem poſtero anno, quo cardinalem Aragonium Caſæmarii commendatarium renunciavit, abbatiæ ceſſionem ei admiſiſſe, qua deinde Angelum de Creſcentiis de Babuco notarium & familiarem ſuum per triennium donavit; hoc tamen cardinali privilegio conceſſo, ut fructus & redditus omnes, quoad viveret, ſuos faceret, necnon Angelo decedente, vel monaſterium dimittente, liberum ad illud haberet regreſſum: *Quum itaque* (ait Pontifex in diplomate pridie kalendas Ja-

Januarii anni milleſimi quingenteſimiquinti) *hodie tu, qui monaſterium beatæ Mariæ Caſæmarii Ciſtercienſis ordinis Verulanæ diœceſis ex conceſſione apoſtolica tunc in commendam obtinebas, commendæ hujusmodi in manibus noſtris ſponte & libere ceſſeris, nosque ceſſionem ipſam tunc admittentes, monaſterium prædictum tunc certo modo, quem pro expreſſo habere volumus, vacans, dilecto filio magiſtro Angelo de Creſcentiis de Babuco clerico dictæ diœceſis notario & familiari noſtro continuo commenſali per eum uſque ad triennium ex nunc computandum, tenendum, regendum, & gubernandum commendaverimus, & deinde poſtquam habitum juxta dicti monaſterii conſuetudinem ſuſcepiſſet, profeſſionemque per monachos dicti monaſterii emitti ſolitam emiſiſſet regularem, de perſona ſua eidem monaſterio provideri, ipſumque illi præfici mandaverimus in abbatem, prout in eisdem inde confectis literis plenius continetur &c. Excedente vel decedente dicto Angelo, aut dictum monaſterium dimittente, aut alias illo quovis modo vacante, liceat tibi ad monaſterium ipſum liberum habere regreſſum &c. perinde ac ſi commendæ hujusmodi minime ceſſiſſes &c.* quod idem alia Julii diplomata ſatis ſuperque confirmant.

Exacto hinc triennio, cardinalis Aragonius ad Caſæmarii monaſterium (ut arbitror) regreſſum habuit, eodemque ad annum uſque milleſimum quin-

quingenteſimum undeviceſimum, quo fatis ceſſit, potitus eſt. Itaque Ludovico rebus humanis exempto, Nicolaus Schomberg Capuanus archiepiſcopus a Leone X. Caſæmarii monaſterio abbas præficitur, cujus tamen nulla eſt mentio apud Eugenium Caracciolum, qui poſt Ludovicum tradit Franciſcum Aragonium ejusdem monaſterii commendatarium: hujus autem auctoritas ſi mereatur ſuffragium, tunc facile dixerim ab Hadriano VI. monaſterium Nicolao commendatum fuiſſe. Verum utcunque ſit, ſatis perſpectum eſt circa hæc tempora, & poſt Ludovicum Aragonium Nicolaum Capuanum archiepiſcopum monaſterium in commendam obtinuiſſe. Id enim teſtatum facit Clementis VII. diploma, quo Ennium Philonardum Verulanum antiſtitem, ob Nicolai ceſſionem, commendatarium renunciat. Autographum apud ſe adhuc ſervatum Clementis diploma Ennio nuncupatum mecum perhumaniter exhibuit vir illuſtriſſimus idemque ſacræ doctrinæ peritia ſingularis Vincentius Petra congregationis ſuper interpretatione Tridentini concilii a ſecretis, & ob Pontificum bullas doctiſſimis commentariis illuſtratas de re literaria benemeritus, unde hæc exſcripſi: *Quum itaque monaſterium ſanctorum Johannis & Pauli de Caſæmario Ciſtercienſis ordinis Verulanæ diœceſis, quod venerabilis frater noſter Nicolaus archiepiſcopus Capuanus ex conceſſione apoſtolica in commendam nuper obtinebat, com-*

O *menda*

menda bujuſmodi, ex eo quod dictus Nicolaus archiepiſcopus illi hodie in manibus noſtris ſponte & libere ceſſit, noſque ceſſionem ipſam duximus admittendam, ceſſante adbuc eo, quo dum eidem Nicolao archiepiſcopo commendatum fuit, vacabat, modo vacare noſcatur ad præſens &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M D XXVII. *nonis Aprilis*. Hæc in Clementis diplomate, cujus auctoritate Nicolaum Schomberg Capuanum archiepiſcopum Caſæmarii commendatarium fuiſſe (quod nemo hactenus exploravit) compertum habemus. Is Theodorici nobilis Miſnenſis filius, ab ineunte adoleſcentia Romam pietatis cauſſa profectus eſt, unde quum patriam repeteret anno ultra milleſimum quadringenteſimo nonageſimo, Florentiæ in cœnobio ſancti Marci divino afflatus ſpiritu Prædicatorum ordini nomen dedit. Literis optime eruditus, priora ordinis obivit munera, deinde in graviſſimis Romanæ eccleſiæ rebus cum laude adhibitus, de illa admodum meritus a Leone X. Pontifice Capuana infula decoratus eſt. Clementi VII. fidus comes, & intimus conſiliarius tum in proſperis tum in adverſis fuit: a quo ad Franciſcum I. Galliæ regem pro pace cum Carolo V. Imperatore ineunda legatus, admirabili dexteritate indignatos principes compoſuit. Ad Urbem reverſus tantæ fuit exiſtimationis & famæ, ut Clemente ab humanis ſublato, nondum cardi-

cardinalis parum abfuerit, quin ad Pontificatum aſſumeretur. Suffectus tamen Alexander Farneſius cardinalis Pauli III. nomine Nicolaum purpura donavit, qua comparata, duos tantum annos ſupervixit, & Romæ in cœnobio ſanctæ Mariæ ſupra Minervam mortalitatem explevit, ejusque corpori ante fores eccleſiæ humili loco terræ dato hæc in marmore ſuppoſita legitur inſcriptio;

Nicolaus a Schomberg
Theodorici filius
Ex Svevis Miſnenſibus
Oriundus,
Sanctæ Romanæ eccleſiæ
Tituli Sancti Sixti
Presbyter cardinalis,
Cognomento Capuanus,
Sacri ordinis Prædicatorum.

Vixit annos LXV.
Dies XXIX.

Obiit anno Chriſti
M D XXXVII.
V. *idus Septembris.*

Ob ceſſionem itaque cardinalis Schomberg, antequam purpuratorum ordini adſcriberetur, præfati diplomatis teſtimonio, Clemens VII. Ennium Philonardum epiſcopum Verulanum monaſterii commendatarium renunciavit. Prænobilis ejus familia anno milleſimo triceſimo quadrageſimoſeptimo Carolo IV. Imperatore Germania in Italiam traducta fuit a Bartholomæo Philonardo, qui Cæſareo in exercitu militari officio decoratus, & Imperatori acceptiſſimus, ſumma illud cum laude adminiſtravit. Illuſtrem mulierem de Nobilibus, quæ Babuco veteri in Hernicis oppido dominabatur, uxorem duxit, ex qua natus eſt Vellius Philonardus Ennii Verulani epiſcopi parens. Exinde oppidi hujus dominio in Philonardorum familiam deducto, eo inſuper potiti ſunt Saturnus & Antonius Ennii nepotes, aliique, donec, ut ſupra memini, a Gregorio XIII. Pontifice omnia ejus jura ad apoſtolicam cameram reſtituta fuerunt. Ennius autem optimis moribus informatus, in primo ætatis flore Romam venit, ubi liberalibus diſciplinis eruditus ingenii ſui prope admirabilis felicitate immortalem ſibi nominis gloriam comparavit, & ad honores ſibi viam aperuit. Hinc ab Innocentio VIII. inter familiares adſcitus, ab Alexandro VI. Campaniæ & Maritimæ theſaurarius renunciatus, mox ad Verulanam ſedem aſſumptus, matrimonio ineundo inter Lucretiam Borgiam & Ferrariæ ducem operam dedit,

dit, & fœderi cum Florentinis inito Cæſaris Borgiæ Valentini ducis nomine interfuit. Julio II. Pontifice Marchiæ Anconitanæ, & Firmanæ urbi gubernator præfuit, e qua Aſtulphum Aſculanorum tyrannum expulſit, urbemque Pontificis obedientiæ redegit. Mox Fori Cornelii adminiſtratione auctus, Gallorum obſidionem valide tulit, poſtquam, commota Bononia, Urbini ducis Pontificii exercitus generalis copiæ defectionem paſſæ fuerunt. Belli a ſede apoſtolica ſuſcepti ad Bononiam Romanæ eccleſiæ reſtituendam munitionum, ut vocant, generalis proviſor, ejusdem civitatis deditionem prudenter egit, utque in illam cardinalis Gonzaga Pontificis legatus, necnon Urbini dux generalis admitterentur, pacta lege obtinuit. Hinc adeptæ Urbis gubernator merito adlectus, eam mirifice & ingenti omnium plauſu moderatus eſt: in cujus apoſtolici palatii aula majori, ubi gubernatorum, legatorumque inſignia ſpectantur, illa eminent Ennii Philonardi cum notis:

Ennius Philonardus
Romanus
Epiſcopus Verulanus
Gubernator,
Deinde cardinalis
Anno M D XI.

Sub

Sub Leone X. pluries Pontificis nomine ad Helvetios nuncius, ex quibus duodecim millia ſedis apoſtolicæ ſtipendio conduxit, quorum præſidio, Pompeio Columna Hiſpanici exercitus duce, Mediolanum ejusque ducatum, depulſis Gallis, inſigni virtute acquiſivit. Quum adhuc apud Helvetios nuncium ageret, Maximilianus Cæſar ampliſſimum ei privilegium dono miſit Auguſtæ Windelicorum, datum viceſima Decembris anni milleſimi quingenteſimi decimitertii, quo Ennii familiam, ingenium, doctrinam, & mores ſummopere commendat, eique facultatem facit ſpurios & nothos in ingenuos adoptandi, laurea doctorali ornandi, equites auratos, & notarios creandi, aquilam Cæſaream in familiæ ſtemmate erigendi, aliaque id genus plurima concedit, unde ſatis ſuum in Ennium amorem & exiſtimationem Imperiali diplomate oſtendit: id quoque mecum communicavit cum aliis ſcriptis præſul humaniſſimus nuper laudatus Vincentius Petra Ennii abnepos & affinis, exindeque ſingularia, quæ ab auctoribus ſilentio præterita ſunt, erui monumenta. Ab Hadriano VI. abbatia ſancti Donati Papienſis cumulatus, ſub Clemente VII. ad ducem Mediolani nuncius, mox in Germania inferiori & ſuperiori de ſuprema adverſus hæreſes inquiſitione commiſſarius, Paulo III. Pontifice anno milleſimo quingenteſimo triceſimoquarto Romam accitus, Hadrianæ molis cuſtodiæ præfectus eſt. Hinc ab eodem Paulo in cardi-

cardinalium collegium adſcriptus, adepta purpura Romanam aulam ingenti exſultatione replevit. Feretranam, quam & ſancti Leonis vocant in ditione Urbinate eccleſiam, Paulo permittente, adminiſtrandam ſuſcepit: quam deinde in nepotem tranſmiſit. Paulus eccleſiaſtici exercitus legatum bello contra Urbini ducem ſuſcepto præpoſuit, mox etiam legati nomine Parmam & Placentiam, totamque Ciſpadanam Galliam ei gubernandam commiſit. Demum epiſcopatu Albanenſi decoratus, in arce Hadriani, dum comitia pro novo Pontifice haberentur, anno milleſimo quingenteſimo undequinquageſimo e vivis ereptus eſt, ejusque corpus Babucum translatum, in eccleſia ſancti Sebaſtiani honorifico elogio apud Ciaconium edito terræ mandatum fuit.

Viget adhuc Romæ illuſtris hæc ſamilia inter alias patricii ordinis clariſſima tum ob viros, quos omni genere præſtantes tulit, quibus eminet Philippus Philonardus a Paulo V. ad purpuram aſſumptus, tum ob ſanguinis neceſſitudinem inter alias primæ nobilitatis, uti Saturni linea, quæ Ciuciæ, Alteriæ, Columnæ gaudet affinitate, necnon extra Urbem cum aliis arctiſſima conſanguinate juncta eſt, ſcilicet Sanctoria, Anguillaria, & Petræ, quum nimirum Septimia lectiſſima femina Saturni proneptis nupſerit eximio viro Vincentio Petræ ex ducibus Vaſtigirardi, cujus familia Neapoli antiqua generis claritate gloriatur.

In

In monumentis eccleſiæ Verulanæ apud Ciaconium in vita cardinalis Ennii vulgatis hæc de illo tradita ſunt, quæ Verulanam ſpectant eccleſiam: „ Hic plura beneficia contulit ſuæ eccleſiæ „ cathedrali, novam capellam in majori altari pul„ cherrimis columnis exſtruendam curavit, ſuper„ que illius fornicem locum ad oſtendendum po„ pulo Sanctorum reliquias in quibusdam anni ſol„ lemnitatibus erigens, ſedemque epiſcopalem ex„ ornans, quum & epiſcopalis palatii domicilia „ humilia & indecora, omnique penitus venuſtate „ deſtituta magnis ſumptibus a fundamentis ex„ ſtructa auctaque ad nobiliorem majeſtatem re„ degit. Hæc apud Ciaconium.

Antiquiſſimæ hujus eccleſiæ regimini hodie præſidet vir illuſtriſſimus non tam doctrina quam probitate præſtans Dominicus de Zaulis Faventiæ noſtræ patricius, & in Urbe CLEMENTIS XI. beneficio Vicesgerens emeritus, qui ſui prædeceſſoris Ennii cardinalis memor & ſtrenuus æmulator cathedralem ædem ingenti ſumptu qua labentem ſarcivit, qua labefactatam ornavit, ejusque faciem marmoribus perpolitam exſtruxit: necnon proximam ſanctæ Mariæ Jacobi eccleſiam recenti forma inſtaurandam ſuſcepit, ibique elegantiſſimum ſacellum ædificavit.

Quod autem pertinet ad Caſæmarii monaſterium, ſtatim ac Ennius cardinalis renunciatus fuit, illud

illud in manu Pontificis dimiſit, quo Antonium Philonardum Verulanum epiſcopum nepotem (cui pridem epiſcopatum ceſſerat) Pontificia liberalitate donavit: verum deinde ne cardinalis ejusmodi ceſſione grave incommodum pateretur, ei Pontifex libentiſſime indulſit, ut ſibi quoad viveret bonorum proventus reſervaret, ita quod, nonniſi cardinale e medio ſublato, Antonius monaſterio potiretur. Conceſſionis hujus locuples teſtimonium eſt ipſiusmet Pontificis diploma datum Romæ apud ſanctum Marcum anno M D XLI. ſeptimo kalendas Septembris, Pontificatus ſeptimo.

Itaque Antonius Philonardus Verulana eccleſia, & Caſæmarii abbatia ad annum uſque milleſimum quingenteſimum ſexageſimum potitus eſt, quo huic ſæculo valedixit, quum tamen prius abbatiam Fulvio nepoti, annuente Pontifice, reſignaverit.

Fulvius Philonardus parum poſt obitum Antonii patrui ſupervixit, nanque Pio V. ſedente mortem oppetiit. Hinc monaſterium a Pio Pontifice Michaeli Bonello cardinali Alexandrino ſororis filio commendatum eſt, idemque ſummopere dilexit, & ingentibus beneficiis cumulavit. Antonii nomen in ſacro fonte ſortitus, Romam puer deductus, literis humanioribus in collegio Germanico vacavit: quibus egregie informatus, ordinem Prædicatorum ingreſſus in conventu ſanctæ Mariæ ſuper Minervam

ſacrum habitum induit, & Antonii nomen in illud Michaelis mutavit. Avunculo ad Pontificatum aſſumpto, Michael, toto cardinalium adhortante ſenatu, Romam Peruſio venire juſſus, ubi theologicæ facultati incumbebat, a Pio Pontifice inter cardinales cooptatus eſt, & Alexandrini cognomine decoratus. Mox camerarii munere inſignitus, illud deinde pro cogenda contra Turcas pecunia Pio petente dimiſit, quod propterea ſeptuaginta millibus aureis Aloyſio Cornelio cardinali vendidit: & Michaelem nepotem Urbis Prioratu ordinis Hieroſolymitani donavit, & ſancti Michaelis Cluſini, necnon Caſæmarii monaſteriis commendatarium grati animi ſignificatione præfecit. Præterea celebri legatione Gallica, Hiſpanica, & Luſitanica pro ſacro fœdere ineundo ornatus eſt, & nobiliſſimo auctus honeſtoque virorum comitatu, quorum ſex cardinalium ordini adſcripti fuerunt, ex iiſque unus Romanus Pontifex renunciatus, Clemens VIII. Clariſſimi hujus itineris volumen manu exaratum me vidiſſe in mentem venit in antiqua & pernobili cardinalis Alexandrini bibliotheca, quum illam Antonius Bonellus utriusque ſignaturæ referendarius ſuperiori anno e vivis ſublatus obtineret, qua hodie conventus ſanctæ Mariæ ſuper Minervam ex voluntate ampliſſimi teſtatoris potitur. Hinc cardinalis Alexandrinus anno milleſimo quingenteſimo nonageſimooctavo morbo correptus, epiſcopus Albanenſis ordi-

ordinatus, Romæ diem obiit ſupremum de Caſæmarii monaſterio præclare meritus. Ejus corpus in præfata eccleſia ſanctæ Mariæ ſuper Minervam tumulo traditum eſt, & a Petro Aldobrandino cardinale eleganti monumento, atque ſepulcrali hoc elogio honeſtatum:

D. O. M.

Fratri Michaeli Bonello
Ordinis Prædicatorum
Sanctæ Romanæ eccleſiæ
Cardinali Alexandrino,
Epiſcopo Albanenſi,
Pii V.
Ex eodem ordine Pontificis ſororis
Nepoti,
Ab eoque ad graviſſima
Sedis apoſtolicæ negotia moderanda
Adhibito,
Legato ſacri fœderis ineundi cauſſa
Ad reges in Galliam,
Hiſpaniam, Luſitaniam,
Cunctis a ſe
Pro republica ſuſceptis
Strenue ac feliciter perfuncto
Religionis,

Prudentiæ, integritatis,
Eximiæque virtutis
Laude præſtantiſſimo.

Vixit annos LVI.
Menſes IV.
Dies VI.

Obiit IV. *kalendas Aprilis*
M D XCVIII.

Quod illi monumentum
Ob Johannem Aldobrandinum
Fratrem
In ſacrum collegium
A Pio cooptatum,
Aliaque ejus avunculi in ſe,
Familiamque ſuam merita
Clemens VIII. Pontifex maximus
Inſtituerat,
Petrus cardinalis Aldobrandinus
Sanctæ Romanæ eccleſiæ camerarius
Gratam patrui voluntatem ſequutus,
Collegæ optimo poſuit
Anno M DC XI.

Poſt

Poſt cardinalem Alexandrinum ſequitur Scipio Burgheſius cardinalis abbatiæ commendatarius, etſi Engenius Caracciolus loco ſupra citato Franciſcum Bonellum præponat, cujus tamen mihi obſcura ſunt monumenta. Hujus autem fide penes auctorem relicta, quod Scipionem ſpectat, is fuit Pauli V. Pontificis ſororis filius, gente Caſtarellia Romæ antiqua nobilitate clariſſima, qui dum adhuc in academia Peruſina jurisprudentiæ vacabat, ab avunculo ad Urbem accitus, renunciatus eſt presbyter cardinalis titulo ſancti Chryſogoni, & una cum purpura Burgheſium nomen, inſigniaque aſſumpſit. Multis eum Paulus cumulavit proventibus,unde ad divinum cultum longe lateque amplificandum, Urbisque ornamentum plurima in ſacris ædibus munificentiæ, qua præditus erat, teſtimonia reliquit. Titulum nanque ſancti Chryſogoni recenti ſtructura inſtauravit, ſancti Gregorii eccleſiam eleganti decoravit porticu, ſancti Sebaſtiani baſilicam in via Oſtienſi reſtituit, aliaque Urbis templa, quæ omnium patent oculis, magnifice reparavit. Cinthio Aldobrandino cardinale fatis functo, major pœnitentiarius, hinc baſilicæ Vaticanæ, & Lateranenſis archipresbyter, mox ſedis apoſtolicæ bibliothecarius, Bononienſis archiepiſcopus, & legatus Avenionenſis a Paulo Pontifice declaratur. Camaldulenſes, & Lauretanam domum patrocinio fovit, & beneficiis auxit. E titulo ſancti Chryſogoni ad alium ſancti Laurentii in Lu-

cina

cina gradum fecit, deinde epiſcopus Sabinenſis adlectus, de Caſæmarii monaſterio benemeritus Romæ anno milleſimo triceſimotertio occubuit, & in ſacello Burgheſiano Liberianæ baſilicæ ſepulcro traditus fuit.

Quum autem Urbanus VIII. Romanæ eccleſiæ Pontifex præeſſet, dum Scipio cardinalis e vivis abiit, plura, quibus antea Scipio fruebatur, ſacerdotia Franciſco Barberino cardinali adſcripſit, quæ inter Caſæmarii monaſterium, quod ad obitum uſque ſingulari proſequutus eſt benevolentia. Franciſcus ab Urbano patruo adhuc adoleſcens in ordinem cardinalium adnumeratus fuit, & Tiburtinæ ac Firmanæ urbium prætura donatus. Aragoniæ, Luſitaniæ, Scotiæ, Helvetiorum, ordinis Minorum, & Caſinenſium protector, in omnes excelſi animi præbuit argumenta. Bibliothecarius ſedis apoſtolicæ renunciatus, & Vicecancellarii auctus officio, atque clariſſima legatione in Galliam primum, mox in Hiſpaniam pro componenda in Italia pace ornatus, imminentis gravioris belli faces prudentiſſime extinxit. Signaturæ juſtitiæ præfectus, Avenionenſis, & Urbini legatus, necnon Vaticanæ baſilicæ archipresbyter, tot ſibi commiſſa munera omnium cum laude adimplevit. Demum Romæ, & apud exteros poſtquam munificentiæ ac pietatis ampliſſima reliquerit monumenta, ſenio confectus ſacri collegii decanus Innocentio XI. Pontifice, anno ſexcenteſimo

ſimo undeoctogeſimo ſupra milleſimum vita exemptus eſt, & corpus ad baſilicam Vaticanam delatum fuit, ibique in ſacrario hoc elegantiſſimum ejus memoriæ elogium nepotes de tanto patruo optime merentes inſcripſerunt:

D. O. M.

Franciſco cardinali Barberino
Urbani VIII. Pontificis maximi
Fratris filio,
Et ſupremo adminiſtro,
Sanctæ Romanæ eccleſiæ Vicecancellario,
Epiſcopo Oſtienſi,
Sacri collegii decano,
Et hujus ſacroſanctæ baſilicæ archipresbytero,
Morum integritate,
Illibata caſtimonia,
Conſtanti æquabilitate,
Ac moderatione
In omni fortunæ varietate,
Zelo vindicandi & aſſerendi jura,
Et dignitatem
Apoſtolicæ ſedis,
Incorrupta in ſummos Pontifices fide,
Pietate in Deum,
Studio in religionem eximio,
In legationibus Gallica,

Mox

Mox Hiſpanienſi
Illuſtrium populorum plauſibus,
Sacrorum ordinum veneratione,
Potentiſſimorum regum honoribus probatiſſimo,
In rebus agendis memoria,
Et negotiorum peritia,
Conſiliorum copia,
Laboris patientia,
Providentia, vigilantia, ſolertia
Admirabili,
Parſimonia in ſe,
Liberalitate in literatos,
Singulari charitate in pauperes,
Beneficentia in omnes
Etiam remotiſſimarum nationum homines,
Ubique gentium claro.

Carolus diaconus cardinalis
Clementis IX. Pont. max. munificentia
In archipresbyteratu viventi adhuc ſucceſſor,
Et Maphæus Præneſtinorum princeps patruo
Optime merito PP.
Anno M DC LXXXII.

Obiit anno ſalutis M DC LXXIX.
Aetatis LXXXII.
Cardinalatus LVI.

Hinc

Hinc Franciſco cardinale Barberino ab humanis rapto, nullum in Caſæmarii monaſterio Pontifex Innocentius commendatarium ſuffecit: quo nimirum caruit ad annum uſque milleſimum ſexcenteſimum nonageſimum, donec illo Pontifex Alexander VIII. Johannem Franciſcum Albanum paullo ante inter Cardinales adlectum donavit. Ipſe Urbini viceſimatertia Julii anno milleſimo ſexcenteſimo undequinquageſimo Carolo patre, Helena Moſca matre natus, cujus familia antiquiſſima Piſauri gaudet nobilitate, Romam ab ineunte adoleſcentia profectus, in collegio Romano liberalibus diſciplinis operam dedit. Exacto ſtudiorum curſu, in literariis exercitationibus pridem verſatus, latine & græce peritiſſimus, inter utriusque ſignaturæ referendarios ab Innocentio XI. cooptatus, Reatinam civitatem, inde Sabinenſem provinciam, demum Urbemveterem gubernator adminiſtravit. Mox Romam reverſus, Vaticanæ baſilicæ vicarius declaratus, Carolo Barberino cardinale archipresbytero, in hiſce obeundis muneribus omnem ſibi nominis laudem promeruit. In celebri Humoriſtarum academia, necnon in Regali coram Chriſtina Alexandra Svecorum regina ſæpenumero doctiſſime diſſeruit, & in hac præcipue Jacobo II. magnæ Brittaniæ regi ad regnum recens aſſumpto pereruditа atque eleganti panegyri publice plauſit omnium gentium lætitia. Johanne Gualterio Sluſio cardinali

brevium a ſecretis a Pontifice Innocentio ſubrogatus, ingenti ſedis apoſtolicæ dignitate grave miniſterium implevit. Quo quum fungeretur, Alexandro VIII. adhuc ſedente, Pontifex prudentiſſimus & ingeniorum æſtimator acerrimus Johannem Franciſcum tota plaudente Urbe in ſacrum purpuratorum collegium adſcripſit, ſancti Hadriani diaconum Cardinalem nominavit, & Caſæmarii monaſterio commendatarium præfecit. Carthuſianorum, aliosque Minimorum ſancti Franciſci de Paula, necnon ſanctæ Birgittæ Svecorum ordines patrocinio ſuo dignatus eſt, & apoſtolicis brevibus ſcribendis toto inſuper Innocentii XII. Pontificatu ſedulo vacavit. Inter presbyteros Cardinales adnumeratus, titulum obtinuit ſancti Silveſtri in capite, & ſexta Octobris anni Jubilæi milleſimi ſeptingenteſimi, antequam pro novo Pontifice in locum Innocentii, qui novem ante dies huic ſæculo valedixerat, ſufficiendo conclave ingrederetur, ſacrum primo celebravit in ampliſſima ſanctæ Mariæ Angelorum æde, ibique in pernobili ſancti Brunonis ſacello, quod recenti opere Carthuſiani magnifice ædificaverant. Conclave ingreſſus, poſt quadraginta & ultra dies incredibili patrum conſenſu, etſi diu lacrymis apoſtolicum onus ſubire avertens, viceſimatertia Novembris unanimi omnium exſultatione Clementis XI. nomine Pontifex renunciatur, ubi contra votum optimi Principis admirabilis patrum conſtantia vicit,

vicit, qui eum Catholicæ eccleſiæ præſidem voluerunt. Ab hinc autem ſeptimus annus volvitur, quo Pontificem in apoſtolica ſede collocatum gratulabundi videmus, unde Romanæ eccleſiæ longe lateque propagandæ proſpicit ornamento, Catholici orbis tranquillitati iniquo bellorum fato concuſſi, & Urbis in dies amplificandæ perpetuo nitori. Inter graviſſimas, quibus undique premitur, ſollicitudines locum etiam obtinet ſui Caſæmarii monaſterii cura, de quo multis nominibus meritus eſt, & quum Cardinalem ageret, & hodie quo Pontifex ſedet. Ad ejus nanque ſarta tecta ſervanda ſæpe ſæpius magnam advertit mentem, idemque primævo decori reſtituendum plerunque cogitationes intendit. Faxit itaque Deus, ut quæ animo ad Chriſtianæ reipublicæ utilitatem complexus eſt, ad optatum finem perducat, & univerſa hominum laude ampliſſimum CLEMENTIS nomen apud poſteros immortalitate donetur.

Explicit Hiſtoria.

APPENDIX

Acta Vetera

PRO CASAEMARII MONASTERIO

Nunc primum vulgata complectens .

VETERA Pontificum diplomata & privilegia , quæ de Caſæmarii monaſterio ſparſim ab auctoribus edita ſunt, appoſite in ſuperiori hiſtoria produxi : quum vero plura admodum ſint , & longe digniſsima , quæ adhuc latent nondum publicis literarum mandata monimentis, tum in Caſæmarienſi chartario exſcripta , tum in Vaticano archivo ſervata , ſtatui nonnulla appendicis loco , quæ mihi primum obvia fuerunt , ad ampliſsimi monaſterii ornamentum vulgare a chartarii ſcriptore ex autographis petita , ut ego etiam pro virili mea de re diplomatica aliqua ex parte benemerear . Poſt enim enarrata monaſterii initia , atque incrementa , antequam privilegia & inſtrumenta producat , hæc monachus ſcriptor præfatur : ,, Narratis
,, fundamentis & primordiis hujus ſacri monaſterii, ſcri-
,, bentur inferius omnia privilegia libertatum , exem-
,, ptionum , donationum tam Pontificum , Imperato-
,, rum , regum , principum , & aliarum perſonarum ,
,, necnon & exemptiones factas pro monaſterio , & lar-
,, gitiones , & oblationes aliorum benefactorum , quæ
,, ponentur de verbo ad verbum .

In-

Itaque a Pontificiis exordium ducam, & primum Innocentii III. diploma publicum facere lubet, quo nimirum Pontifex proximos epiſcopos, & abbates excitat ad tuendum Caſæmarii monaſterium, ejuſque bona contra direptores, qui illa indigne & violenter improba manu occupaverant.

I.
INNOCENTIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Venerabilibus fratribus epiſcopis, & dilectis filiis abbatibus, prioribus, & aliis eccleſiarum prælatis per Campaniam & Maritimam, & Terram Laboris conſtitutis ſalutem & apoſtolicam benectionem.

NOn abſque dolore cordis & plurima turbatione didicimus, quod ita in pleriſque partibus eccleſiaſticæ cenſura diſſolvitur, & canonicæ ſententiæ ſeveritas enervatur, ut viri religioſi, & hi maxime, qui per ſedis apoſtolicæ privilegia majori donati ſunt libertate, paſſim a malefactoribus ſuis injurias ſuſtineant & rapinas, dum vix invenitur qui congrua illis protectione ſubveniat, & pro fovenda pauperum innocentia ſe murum defenſionis opponat. Specialiter autem dilecti filii abbas & fratres Caſæmarii Ciſtercienſis ordinis tam de frequentibus injuriis, quam de ipſo cotidiano defectu juſtitiæ conquerentes, univerſitatem veſtram literis petierunt apoſtolicis excitari, ut ita eis videlicet in tribulationibus ſuis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate conſurgere, quod ab anguſtiis, quas ſuſtinent & preſſuris veſtro poſſint præſidio reſpirare. Ideoque univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenus illos, qui

qui poſſeſſiones, vel res ſeu domos prædictorum abbatis & conventus, vel hominum ſuorum irreverenter invaſerint, aut ea injuſte detinuerint, quæ prædictis fratribus ex teſtamento decedentium relinquuntur, ſeu in ipſos fratres, vel ipſorum aliquem contra apoſtolicæ ſedis indulta ſententiam excommunicationis aut interdicti præſumpſerint promulgare, vel decimas laborum de terris habitis ante concilium generale, ante quod ſuſceperunt ejuſdem ordinis ſtatuta, quas propriis manibus aut ſumptibus, excolunt, ſeu de nutrimentis animalium, ſpretis apoſtolicæ ſedis privilegiis, extorquere, monitione præmiſſa, ſi laici fuerint, publice candelis accenſis ſinguli veſtrum in diœceſibus & eccleſiis veſtris excommunicationis ſententia percellatis: ſi vero clerici, aut canonici regulares ſeu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio, & beneficio ſuſpendatis; noſtram relaxaturi ſententiam, donec prædictis abbati & monachis plenarie ſatisfaciant, & tam laici quam clerici ſæculares, qui pro violenta manuum injectione in fratres eoſdem, vel ipſorum aliquem anathematis vinculo fuerint innodati, cum diœceſani epiſcopi literis ad ſedem apoſtolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur abſolvi. Datum Laterani VII. *kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno* I.

Huic ſimile proſtat in eodem codice Honorii III. diploma iiſdemet fere verbis conceptum, datum Romæ apud ſanctum Petrum XII. kalendas Januarii, Pontificatus anno I. Aliud vero ſubjiciendum duxi ipſius Honorii privilegium ex archivo Vaticano Donati Antonii de Juliis accuratiſſimi cuſtodis humanitate depromptum, quo Pontifex inhibet, ne ullus unquam Ciſtercienſium abbatum privilegio unionis cœnobii ſancti Dominici Sorani Caſæmarii monaſterio contraveniat.

HO-

II.
HONORIUS PP. III.

Ciſtercienſibus, & univerſis aliis abbatibus Ciſtercienſis ordinis in generali capitulo conſtitutis.

QUum ſciatis nos univerſum ordinem veſtrum ſinceræ charitate diligere, ac in eo, ſicut in odore agri pleni, cui benedixit Dominus, delectari, nunquam ſuſpicari debetis, ut licet monaſterium Caſæmarii quaſi opus noſtrum tenerrime diligamus, ejus obtentu quicquam in diſpendium ordinis attemptari velimus: quod nimis eſſet dilectio noxia, quæ communem utilitatem privatæ poſtponens, pro unius levi commodo grave multis ingereret detrimentum; ſed nec zelus eſſet innoxius, qui privatis vellet profectibus obviare, quibus nil alicui noſcitur deperire. Unde quum monaſterium ſancti Dominici de Sora per malitiam inhabitantium, immo incubantium in eodem eſſet pene penitus deſolatum, & quanvis ad reparationem ejus per nos & alios ſæpeſæpius laboratum fuiſſet, nequaquam tamen ſubſiſtere potuit, quia cotidie in deterius laberetur, ita quod factum erat non ſolum in opprobrium & deriſum, ſed etiam in ſcandalum & horrorem; nos provide attendentes quod Hoſpitalarii & Templarii aſpirabant ad illud habendum, a quorum vicinitate vix monaſterium Caſæmarii ſubſiſtere potuiſſet, diligenti deliberatione præhabita, de conſilio fratrum noſtrorum illud monaſterio Caſæmarii providimus uniendum, itaut de cetero ſit unum corpus ſub unius ſemper abbatis regimine gubernandum: kariſſimo in Chriſto filio noſtro Friderico Romanorum Imperatore illuſtri, & rege Siciliæ, quod ſuum erat, ad hoc liberaliter largiente, unde nimis ſupervacua vel ſuperſtioſa potius videretur laborare ſollicitudine qui contra rem tam neceſſariam & tam utilem, & noſtri privilegii munimine roboratam ali-

aliquid cogitaret, quum ex hoc noſtram vel impugnare potentiam, vel arguere providentiam videretur; ideoque diſcretionem veſtram monemus attente, per apoſtolica ſcripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus nihil omnino cujuſquam æmuli ſuggeſtione ſeducti contra prædictum privilegium attemptetis, immo quum non ſit veriſimile, ut hujuſce circumſtantias vos melius didiceritis in remotis, quam nos noverimus in vicino, illud amplectamini reverenter, ut noſtris beneplacitis humiliter obſequentes, magis ac magis nos vobis reddatis favorabiles & benignos. Datum Laterani V. *idus Maii, Pontificatus noſtri anno* VII.

Aliud Nicolai IV. libertatis & exemptionis, ne aliqua civitas vel caſtellum imponat collectas & exactiones ſuper bona monaſterii Caſæmarii.

III.
NICOLAUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis abbati, & conventui monaſterii Caſæmarii ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Q*Uum monaſterium veſtrum, in quo ſub Ciſtercienſi ordine divino eſtis obſequio mancipati, ad Romanam eccleſiam nullo mediante* *pertinens ſollicitudo noſtra *reſpiciat, non ſine commotione ferimus, quoties nos audimus aliquibus vexationibus fatigari. Volentes igitur eā vos ſemper quiete ac libertate gaudere, qua ordo veſter late per orbem lætari cognoſcitur, & domus veſtra juſſione & auctoritate prædeceſſorum noſtrorum Eugenii, Hadriani, Alexandri, Lucii, & Urbani hactenus eſt gaviſa ad inſtar felicis recordationis Clementis Papæ III. prædeceſſoris noſtri, præſentis paginæ vobis, veſtriſque ſucceſſoribus* au-

* Id ſupplendum puto.

auctoritate providimus, mandantes firmiter, & ſub pœna centum librarum provenien. monetæ diſtrictius inhibentes, ne aliqua civitas vel caſtellum præſumat a vobis ſub obtentu cujuslibet datæ ſive collectæ aliquo tempore quicquam exigere, & monaſterium veſtrum, quod noſtram propriam cameram reputamus, aliquibus exactionibus moleſtare: vobis veſtriſque poſteris injungimus & auctoritate apoſtolica firmiter præcipiendo mandamus, ne ſupradictis exactionibus quolibet tempore vicinis veſtris quicquam ſolvere præſumatis; quod ſi ſecus facere temptaretis, patienter non portaremus monaſterium veſtrum, quod noſtrum ſpecialiter eſt, in ſervitutem redigi, & conceſſa ſibi libertate fraudari. Datum apud Urbemveterem nonis Decembris, Pontificatus noſtri anno III.

Diploma Bonifacii VIII. confirmationis exemptionum & libertatum, quæ a Pontificibus, Imperatoribus, regibus, aliiſque monaſterio Caſæmarii conceſſæ fuerunt.

IV.

BONIFACIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis abbati, & conventui monaſterii Caſæmarii Ciſtercienſis ordinis Verulanæ Diœceſis ſalutem, & apoſtolicam benectionem.

QUum a nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſive per privilegia, ſeu alias indulgentias monaſterio veſtro

veſtro, ſeu vobis conceſſas, necnon libertates & exemptiones ſæcularium exactionum a regibus, & principibus, ac aliis Chriſtifidelibus rationabiliter vobis indultas, ſicut ea juſte & pacifice obtinetis, vobis & per vos eidem monaſterio auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Urbemveterem v. *idus Septembris, Pontificatus noſtri anno* III.

His addere viſum eſt Julii II. privilegium, quo veteres Caſæmarii baſilicæ indulgentias a Pontificibus elargitas ratas habet, & apoſtolica auctoritate confirmat.

V.
JULIUS PP. II.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

EXpoſuit nobis dilectus filius magiſter Angelus de Creſcentiis de Babuco clericus Verulanæ diœceſis notarius & familiaris noſter, qui monaſterium beatæ Mariæ Caſæmarii Ciſtercienſis ordinis dictæ diœceſis ex conceſſione apoſtolica in commendam obtinet, quod alias felicis recordationis Honorius Papa III prædeceſſor noſter in dedicatione eccleſiæ dicti monaſterii univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui dictam eccleſiam ejuſdem beatæ Mariæ in Nativitatis, Circumciſionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Penteceſtes: necnon Nativitatis, Annunciationis, Puriſi-

rificationis, & Aſſumptionis ejuſdem beatæ Virginis Mariæ, & Nativitatis ſancti Johannis Baptiſtæ ac ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & celebrationis omnium Sanctorum, ac dedicationis ejuſdem eccleſiæ feſtivitatibus, ipſamque ſingularum feſtivitatum octavis & Dominico feſti ſanctorum martyrum Johannis & Pauli immediate præcedentis, ac aliis ſex feſtivitatem Pentecoſtes hujuſmodi immediate ſequentibus diebus devote viſitarent annuatim, & ad conſervationem & manutentionem eccleſiæ ac monaſterii hujuſmodi manus porrigerent adjutrices, pro ſingulis feſtivitatibus ſex annos, & totidem quadragenas: aliis vero octavarum dictarum feſtivitatum, & aliorum ſex dierum prædictorum diebus ſingulis centum dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavit primo: & deinde idem Honorius prædeceſſor ex certis cauſis tunc expreſſis Chriſtifidelibus antedictis, qui feria ſecunda poſt Pentecoſten, necnon ſeptem diebus dictam ſecundam feriam immediate ſequentibus eccleſiam & monaſterium prædictum devote, ut præfertur, viſitarent, ut omnino illam, ſeu omnino ſimilem indulgentiam & peccatorum remiſſionem conſequerentur, ſi eccleſiam beatæ Mariæ de Angelis Aſſiſiatis diœceſis prima & ſecunda diebus menſis Auguſti ſingulis annis viſitarent, etiam perpetuo conceſſit: & ſucceſſive idem prædeceſſor abbati, & priori pro tempore exiſtentibus, ac dilectis filiis conventui dicti monaſterii eligendi octo diſcretos & honeſtos presbyteros ſæculares vel regulares, qui per tres dies ante tempora, & tempora feſtivitatum ſive indulgentiarum hujuſmodi ipſis fidelibus, eorum confeſſionibus diligenter auditis, de abſolutionis beneficio providerent, licentiam & auctoritatem conceſſit, ac eiſdem indulſit: poſtmodum vero piæ memoriæ Innocentius PP. VIII. prædeceſſor noſter omnes & ſingulas has indulgentias, immunitates, privilegia, exemptiones, libertates, indulta, & conceſſiones eccleſiæ & mo-

& monaſterii hujuſmodi confirmaverunt, aliaſque, & alia fecerunt, indulſerunt, & conceſſerunt dicti prædeceſſores, prout in eorum literis deſuper confectis, quas perpetuo durare voluerunt, plenius continetur. Quare præfatus Angelus, qui etiam continuus commenſalis noſter exiſtit, nobis humiliter ſupplicavit, ut literis, privilegiis, indultis, conceſſionibus, indulgentiis, immunitatibus, & aliis præmiſſis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac aliis in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur eundem Angelum a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſuis hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſingulas literas, ac omnes & ſingulas indulgentias, privilegia, exemptiones, immunitates, conceſſiones, indulta, & alia præmiſſa, & prout illa concernunt omnia & ſingula in dictis literis contenta auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, illaque perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decernimus, eiſque illud adjicimus; ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: & nihilominus pro potiori cautela præmiſſa omnia & ſingula de novo concedimus & indulgemus. Et inſuper eiſdem utriuſque ſexus fidelibus etiam vere pœnitentibus & confeſſis, qui eccleſiam monaſterii hujuſmodi in feſto ſancti Matthæi apoſtoli proxime futuro devote viſitaverint, ac ad conſervationem & manutentionem prædictas manus porrexerint adjutrices, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem auctoritate apoſtolica eorundem tenore præſentium elargimur: non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac ipſarum in-

indulgentiarum intermiſſione, illarumque forſan revocationibus & non uſu, ac omnibus illis, quæ dicti prædeceſſores in dictis literis voluerunt, non obſtantibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus eccleſiam monaſterii hujuſmodi, aut ad manutentionem & conſervationem prædictas manus adjutrices porrigentibus, aut alias aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad tempus nondum elapſum duratura per nos conceſſa fuit, præſentes literæ nullius ſint roboris vel momenti: præſentibus quoad indulgentiam plenariam per nos eiſdem præſentibus in feſto ſancti Matthæi, ut præfertur, conceſſa hujuſmodi, poſt annum minime valituris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die XXXI. *Martii* MDVI. *Pontificatus noſtri anno* III.

Exactis Pontificum, quæ vulgare placuit, privilegiis, duo Cæſarea ſubnectam, quæ Caſæmarii monaſterio nonnihil ſunt ornamento; & primum Henrici V. Imperatoris de libertatibus monaſterii per totum regnum Siciliæ, unde ſatis ex hoc proditum ſit quanti illud fecerint Imperatores.

VI.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

HENRICUS
Divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus.

COllatum nobis cœlitus Imperatoriæ dignitatis officium noſtram admonet ſollicitudinem, ut venerabilibus locis, & perſonis eccleſiaſticis ac religioſis ſpecialem benignitatis noſtræ favorem clementer impendentes, contra indebitam adverſantium potentiam defenſionis noſtræ patrocinium ipſi apponamus. Ea propter notum facimus uni-

univerſis Imperii fidelibus tam præſentibus quam futuris, quod nos intuitu retributionis æternæ monaſterium Caſæmarii ſanctorum Johannis & Pauli, dompnum Geraldum venerabilem abbatem, fratres, eorumque ſucceſſores, cum omnibus eccleſiis, hominibus, bonis tam mobilibus quam immobilibus, quæ in præſenti habent, aut inpoſterum juſto acquiſitionis titulo poterunt adipiſci, in noſtræ majeſtatis defenſionem & protectionem recepimus. Statuimus igitur & Imperiali auctoritate præcipimus, ut nullus archiepiſcopus, epiſcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, capitaneus, vel valvaſſor: nulla civitas, nullum commune, nullus conſulatus, nulla poteſtas, nulla denique humilis vel alta, ſæcularis vel eccleſiaſtica perſona prænominatum monaſterium, abbatem, vel fratres, aut eorum ſucceſſores in perſonis, eccleſiis, hominibus, ſeu bonis ſuis audeat moleſtare, vel quibuſcunque indebitis exactionibus, angariis, ſive quibuslibet injuriarum calumniis gravare præſumat. Adhæc etiam prædicti monaſterii fratribus indulgemus, ut ab omni plateatico, paſſagio, pedagio, vel quocunque genere exactionis tam in emendo quam vendendo per Imperium, & regnum Siciliæ ſint immunes. Concedimus nihilominus, ut quemcunque de regno & poteſtate noſtra largiri voluerit jam dicto monaſterio poſſeſſiones, quæ non ſint de feudo, vel aliquid aliud ſui juris, liceat & illi dare, & monaſterio recipere libere. Volumus etiam & firmiter præcipimus, ut a caſtellano Sorellæ, & Roccæ arcis, & eis omnibus, qui in vicinia ſunt, nullatenus aggraventur, & nullis exactionibus vel moleſtiis fatigentur ab eis &c. Concedimus etiam paſcua in diſtrictu & Soræ, & Sorellæ ad alenda pecora & armenta ſua. Quod quicunque infringere attemptaverit, in ultionem ſuæ tranſgreſſionis triginta libras auri optimi pro pœna componat, dimidium cameræ noſtræ, reliquum paſſis injuriarum. Ad hujus itaque rei perpetuam evidentiam præſentem paginam conſcribi,

ſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione juſſimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt Henricus N.... enſis epiſcopus, Gualterius Trojanus epiſcopus, Henricus dux Saxoniæ, Theodoricus dux Bavariæ, Henricus de Lutra pincerna noſter.

Signum domini Henrici V. Romanorum Imperatoris.

✠ ✠ ✠
✠ ✠ ✠
✠ ✠ ✠

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MC.XCIV. *indictione* XIII, *regnante domino Henrico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo anno regni ejus* XXIV. *Imperii vero* IV. *Datum apud Campaniam per manum Alberti Imperialis aulæ protonotarii pridie kalendas Octobris.*

Aliud Friderici II. confirmationis libertatum monaſterii Caſæmarii per totum regnum Siciliæ.

FRIDERICUS
Divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & rex Siciliæ.

Licet noſtrorum juſtis petitionibus ſubditorum excellentia noſtra ſe debeat favorabilis exhibere, noſtri tamen favorem & gratiam promeretur aſſenſus, cujus gratior in conſpectu noſtro devotio, ac cujus ſedulitas circa ſervitia tam utilis quam neceſſaria comprobetur. Quia igitur dilectus fidelis noſter Johannes abbas Caſæmarii, & ſancti Dominici noſtræ ſupplicavit humiliter majeſtati, ut privilegium ex liberalitate noſtra prædicto monaſterio Caſæmarii indultum poſt curiam Capuæ celebratam ſuper reſtitutione, & confirmatione videlicet privilegiorum quondam divorum Auguſtorum parentum noſtrorum memoriæ recolendæ, quæ monaſterio ipſi contulerant, pro eo quod in fine ejuſdem privilegii noſtri continebatur clauſula iſta ſalutaris -- ſalvo mandato & ordinatione no-

noſtra -- *reſcribi, & eandem clauſulam adimi juberemus, attendentes boneſtam vitam & converſationem laudabilem abbatis prædicti, conſiderantes etiam qualitatem ejus, etſi mandatis noſtris obnoxium ob religionem tanti ordinis repugnantes probitatis & ſcientiæ ſuæ merito poſt curiam noſtram traxerimus, boneſtati ſuæ ſigilli noſtri cuſtodiam committentes, in quo ad honorem noſtrum ſe fideliter & prudenter exercet, ob ſuæ devotionis meritum ſpeciale ſuis juſtis ſupplicationibus favorabiliter annuentes, privilegium ipſum remota clauſula* -- ſalvo mandato, & ordinatione noſtra -- *juſſimus reſcribendum: cujus privilegii tenor talis eſt: Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & rex Siciliæ. Quum Imperialem deceat magnificentiam ſingulorum penſare merita, & juſtis adeſſe poſtulationibus devotorum, tanto potius ad ſacroſanctas eccleſias & loca piis deputata ſervitiis tenetur oculos reducere pietatis, quanto fratres ibi divinis obſequiis inſiſtentes quiete ac pacifice deſiderant Domino ſub ſanctæ religionis propoſito militare. Inde eſt quod quum tu, Rogeri venerabilis abbas ſacri monaſterii Caſæmarii, juxta generale edictum, quod fecimus apud Capuam in curia ſollempniter celebrata, privilegia quædam domini Imperatoris, & dominæ Imperatricis divorum Auguſtorum parentum noſtrorum recolendæ memoriæ in conſtituto termino noſtro conſpectu præſentaſſes, quod in eis vidimus contineri, qualiter dicti parentes noſtri pro excambio ſexcentorum tarenorum, quos de redditibus civitatis noſtræ Gajetæ prædicto monaſterio conceſſerant annuatim, ſtantiam, quæ dicitur* Campus Imperator, *in territorio Sueſſæ dederant ſicut proprios fines dicta, ſtantia in eorum privilegiis nominatur: & eccleſiam ſancti Manſi ſitam in territorio Arpini cum omnibus juſtis tenimentis & pertinentiis ſuis habendam perpetuo & pacifice poſſidendam, & centum barilia tunninæ in portu Panormi*

 an-

annuatim tam lignis quam aliis neceſſariis præparata, & ab eodem portu ubicunque monaſterium ipſum voluerit libere transferenda. Et inſuper conceſſerant ſupradicto monaſterio plenam libertatem, ut & fratres, & homines ipſius monaſterii, vel famuli eorum ab omni pedagio, plateatico, paſſagio, & quocunque exactionis genere ſive angariæ tam in vendendo quam in emendo, eundo vel redeundo pro neceſſariis ejuſdem monaſterii per totum dominium regni noſtri tam per mare quam per terram eſſent liberi & immunes: & quod liceat ipſis quoſcunque liberæ conditionis ſe offerre volentes libere recipere cum omnibus bonis, & illis ſe & ſua prædicto monaſterio conferre, niſi eſſent de feudis, vel ſervitiis obligata, necnon & pro animalibus ſuis liberum uſum paſcuorum in omni tenimento Sueſſæ, Soræ, ſive Sorellæ, & per totum dominium noſtrum: & quod libere etiam in prædictis locis lignis ad uſum ejuſdem monaſterii uterentur, & quod a caſtellano Sorellæ, vel Roccæ arcis, & ab omnibus caſtellanis circum circa morantibus nulla gravamina paterentur, vel exactionibus gravarentur &c. Nos attendentes religionem & honeſtatem tuam, ſupradicte abbas, & fratrum tuorum, qui in eodem monaſterio commorantur, ob reverentiam beatæ Mariæ, & ſanctorum martyrum Johannis & Pauli, ad quorum honorem monaſterium ipſum eſt fundatum, ac pro ſalute noſtra, & remedio animarum prædictorum Auguſtorum parentum noſtrorum felicis recordationis; ad preces ergo domini Honorii reverendi in Chriſto patris noſtri, ſummi Pontificis memorata privilegia tibi benigne reſtituimus, & omnia ſupradicta, ſicut in eis vidimus contineri, quæ temporibus prædictorum Auguſtorum parentum noſtrorum, & maxime circa eorum obitum dictum monaſterium pacifice tenuit & poſſedit, tibi, & ſucceſſoribus tuis in perpetuum de gratia noſtra duximus confirmanda. Ad hujus autem confirmationis noſtræ

me-

memoriam & robur perpetuo valiturum præſens privilegium per manus Johannis de Sulmona notarii & fidelis noſtri ſcribi, & bulla aurea typario majeſtatis noſtræ impreſſa juſſimus communiri. Anno, menſe, & indictione ſubſcriptis. Datum Salerni poſt curiam Capuæ celebratam anno Dominicæ Incarnationis MCCXXI. *menſe Februarii, indictione* IX. *Imperante domino noſtro Friderico Dei gratia excellentiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, & rege Siciliæ. Anno vero Romani Imperii ejus* I. *& regni Siciliæ* XXIII. *feliciter. Amen.*

Ad hujus autem reſcriptionis, & prædictæ clauſulæ memoriam præſens privilegium per manus Johannis de Lauro notarii & fidelis noſtri ſcribi, & bulla aurea typario majeſtatis noſtræ impreſſa juſſimus communiri. Anno, menſe, indictione ſubſcriptis. Datum in Caſtris in obſidione Jati anno Dominicæ Incarnationis MCCXXII. *menſe Julii, indictione* X. *Imperii domini noſtri Friderici Dei gratia invictiſſimi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, & regis Siciliæ anno* II. *regni vero Siciliæ* XXIV.

Poſt Cæſarea, his prope conforme Guillelmi III. Siciliæ regis privilegium adjicio, quod de libertatibus monaſterii per totum regnum Geraldo abbati conceſſit.

VIII.

In nomine Dei æterni & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Amen.

GUILLELMUS

Divina favente clementia rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ, una cum domina Sibilla glorioſa regina matre noſtra.

ETſi regiæ munificentiæ gratia pio devotionis affectu loca debeat religioſa reſpicere, laudabilius tamen ſua debet protectione fovere, quæ apud Deum & homines bonæ converſationis meritum, & laudabile teſtimonium promeretur. Attendentes igitur devotionem quam tu, Geralde *venerabilis abbas Caſæmarii, nobis & regno noſtro exhibere curaſti: conſiderantes nihilominus prædicti monaſterii tui gratæ religionis fervorem, qua Deo placere cupitis, non mundi principibus diſplicetis, univerſa, quæ præfatum monaſterium Caſæmarii in regno noſtro dignoſcitur poſſidere, ſub noſtra protectione recipimus, & ſpeciali ea volumus noſtri patrocinii gratia de cetero confoveri. Concedimus ergo tibi, & ſucceſſoribus tuis fratribus, & hominibus Caſæmarii liberum per regnum noſtrum tranſitum cum rebus veſtris, ut nullum inde paſſagium, vel pedagium perſolvatis. Concedimus etiam ipſi monaſterio, ut ubicunque per terras dominii noſtri confratres, ſeu homines ejuſdem monaſterii pannos pro indumentis monachorum ipſius monaſterii, vel aliquid aliud ad uſum & neceſſitatem eorum emerint, ſeu quicquid de rebus ipſius monaſterii vendiderint, ... in aliqua pro neceſſitate præfati mo-*

monaſterii tam de emptionibus quam de venditionibus, quæ fiunt, ut ſupradictum eſt, pro neceſſitatibus monaſterii paſſagium ſive plateaticum inde nemini tribuere compellantur, ſed libere & abſque exactione aliqua eis, ſicut prædictum eſt, de cetero emere & vendere liceat. De noſtræ ſerenitatis munificentia eidem monaſterio nihilominus indulgemus, ut liceat ei de cetero poſſeſſiones & tenimenta de noſtra auctoritate & permiſſione recipere, quæ quorumlibet largitionibus eidem monaſterio pro propria contingeret voluntate conferri, dummodo poſſeſſiones & tenimenta ipſa non ſint de feudo, vel ſervitiis curiæ obligata. Res vero mobiles, quæ obtentu pietatis ab aliquibus de regno noſtro eidem monaſterio raationabiliter conferentur, libere & ſine contradictione res ipſas mobiles vobis recipere liceat & habere. Ad hujus autem conceſſionis noſtræ memoriam & inviolabile firmamentum præſens privilegium per manus Sanſonis notarii & fidelis noſtri ſcribi, & bulla plumbea noſtro typario impreſſa fecimus roborari. Anno, menſe, & indictione ſubſcriptis. Datum in urbe felici Panormi per manus Bartholomæi venerabilis archiepiſcopi, Nicolai venerabilis Salernitani archiepeſcopi, & Richardi comitis Agelli domini regis familiaris, anno Dominicæ Incarnationis MCXCIV. *menſe Junii,* XII. *indictione: regni vero domini noſtri Willelmi Dei gratia magnifici & glorioſiſſimi regis Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ anno* I. *feliciter. Amen.*

Aliud huic ſimile iiſdem fere verbis confectum legi Tancredi IV. item Siciliæ regis, Guillelmi deceſſoris, *datum in Urbe Meſſanæ per manus Matthæi regii cancellarii, anno Dominicæ Incarnationis* MCXCVI. *regni vero domini noſtri Tancredi Dei gratia magnifici & glorioſiſſimi regis Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ anno* IV. *feliciter. Amen.*

Hæc

Hæc demum ſunt vetera diplomata, quæ nunc primum publica luce donantur: verum alia plura vulganda paraveram, & cetera in compendium privato labore tumultuario collegeram, eaque adamuſſim in ordinem digerere ſtuduiſſem, niſi moleſta nimis negaſſet ægritudo, quæ, dum hæc ſcribebam, nullum mihi exercendæ mentis officium permiſit. Sequuntur in eodem chartario multa pro caſtro Pritii Pontificum, & regum privilegia, aliaque inſtrumenta, quorum pleraque in alio recentiori regeſto exſcripta ſunt, ceteraque in variis diſperſa chartis: ex quibus edere tantum lubet inveſtituræ inſtrumentum, quam de hoc oppido cardinalis Alexandrinus Johannæ Villarant conceſſit, publica munitum fide, ex alio depromptum, quo cardinalis Burgheſius anno MDCXIII. Vincentio del Boſco Johannæ filio feudum confirmat.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

QUum fuerit, & ſit, prout infra aſſertum fuit, quod alias de anno MCXLV. *nobilis vir Matthæus Bonellus dominus caſtri Pritii in regno Siciliæ ultra Pharum in valle nuncupata* Malliani *Agrigentinæ diœceſis juxta ſuos confines, quod Guillelmus Bonellus ejus pater conſtruxerat de conſenſu Margharitæ ſuæ conjugis, & cum licentia glorioſæ memoriæ Guillelmi tunc Siciliæ regis pro animabus ſuorum prædeceſſorum, ſuorumque peccatorum remedio donaverit dictum caſtrum Pritii cum omnibus ſuis membris & pertinentiis, ac juribus monaſterio ſancti Angeli de eodem loco per dictum Guillelmum Bonelli dicti Matthæi patrem magna cum devotione conſtructo, quam donationem demum dictus Guillelmus Siciliæ rex de anno* MCLXI. *confirmavit & approbavit, & quatenus opus eſſet, dictum caſtrum cum toto ejus tenimento, ca-*

caſalibus, maſſariis, aquarum curſibus, molendinis, vaſſallis, ſilvis, terris cultis & incultis, ac cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis liberum immune & exemptum ab omni ſervitio & exactione eidem monaſterio ſancti Angeli donavit, donationemque prædictam poſt XL. *circiter annos glorioſæ memoriæ Fridericus pariter Siciliæ rex, & deinde Imperator ſui nominis* II. *de anno* MCXCIX. *confirmavit, & dictum caſtrum cum toto ejus tenimento, ac juribus, membris & pertinentiis liberum pariter, & exemptum ab omni exactione & ſervitio eidem monaſterio ſancti Angeli donavit, quod quidem caſtrum cum juribus prædictis in vim dictarum donationum reſpective, & conceſſionum, ac confirmationum fuit per dictum monaſterium ſancti Angeli pacifice uſque ad annum* MCCLIV. *poſſeſſum. Quumque tunc temporis dictum monaſterium ſancti Angeli fuiſſet cum monaſterio ſanctorum Johannis & Pauli ac beatæ Mariæ de Caſamari ordinis Ciſtercienſis Verulanæ diœceſis auctoritate apoſtolica unitum, dictæ unionis vigore idem monaſterium de Caſamari dictum caſtrum cum ſuis juribus & pertinentiis prædictis quiete ac pacifice uſque ad annum* MCCCXXXIII. *poſſedit, de quo quidem tempore quum quidam Johannes Valletta Manfredi comitis filius dictum monaſterium de Caſamari ſuper poſſeſſione dicti caſtri, & ſuorum jurium multifariam moleſtaſſet, idem Manfredus pater, diligenti informatione recepta, caſtrum prædictum una cum bonis injuſte occupatis dicto monaſterio de Caſamari pleno jure reſtituit, ſicque dictum monaſterium de Caſamari in ſua dicti caſtri, & membrorum ſuorum pacifica poſſeſſione continuavit uſque ad annum* MCCCCXVIII. *de quo tempore quidam dicti monaſterii de Caſamari procurator dictum caſtrum in emphiteuſim ad* XXV. *annos conceſſit cuidam Johanni Villarant pro annuo canone unciarum triginta octo monetæ in dicto regno Siciliæ currentis, cum pacto, quod ſi defice-*

ficeret per biennium in ſolutione dicti canonis, contractus emphiteuticus, & conſenſus per quendam fratrem Antoninum tunc dicti monaſterii priorem & procuratorem generalem præſtitus nullius eſſet roboris & momenti: quumque etiam poſtmodum dictum caſtrum Pritii ad Carolum, Aloyſium, Philippum, & alios de Villarant deveniſſet, idem Aloyſius tanquam baro poſſidens dictum caſtrum cum ſuis membris pro dicto annuo canone unciarum XXXVIII. *vigore conceſſionis per commendatarios dicti monaſterii de Caſamari factæ de anno* MCCCCLXXXI. *libellum ſeu ſupplicationem proregi tunc Siciliæ porrexit, in qua narratis præmiſſis, & etiam quod ad ejus notitiam pervenerat, qualiter tenentes feuda, aut in eis ſuccedentes debebant a regia curia inveſtituram obtinere, & fidelitatem præſtare intra tempora a jure conſtituta & ordinata, & licet de conſuetudine id non ſervaretur, ipſe de jure non teneretur dictam inveſtituram petere, & fidelitatem præſtare pro dicto caſtro, quod a dicto monaſterio de Caſamari etiam obtinebat, nihilominus offerebat ſe promptum & paratum ad dictam inveſtituram ſuſcipiendam, & fidelitatem præſtandam, ita tamen quod dictus Aloyſius juramentum aſſequutionis, & homagii a vaſſallis in dicto caſtro commorantibus poſſet & valeret exigere, quibus eidem Aloyſio conceſſis & ſequutis, regia curia caſtrum ſeu baroniam hujuſmodi in publicis regiſtris regni tanquam feudum deſcripſit: proceſſu vero temporis ſuccedente, dicti de Villarant hujuſmodi aſſertioni & fraudi adhærentes, & in ea ſe confoventes, recuſaverunt dictum monaſterium de Caſamari, & illius pro tempore commendatarios in dominos recognoſcere, eoſdem diverſimode de & ſuper præmiſſis moleſtare & perturbare cœperunt, adeo quod dicti monaſterii de Caſamari abbates & commendatarii pro tempore, & præſertim felicis recordationis cardinalis ſancti Petri ad Vincula, qui deinde Pontifex creatus Julii II. nomen aſſum-*

aſſumpſit, volentes jura dicti monaſterii conſervare, de anno MCCCCXCII. *judicium & cauſam ſpolii in Romana curia & ſacræ rotæ auditorio introduxerunt, & verificatis verificandis a bonæ memoriæ Petro de Accoltis tunc rotæ auditore definitivam ſententiam ſuper hujuſmodi ſpolio una cum fructuum & expenſarum condemnatione contra dictos de Villarant obtinuerunt, quæ ſententia per bonæ memoriæ Matthæum de Vbaldis tunc pariter rotæ auditorem confirmata, demum de anno* MCCCCXCIX. *de mandato glorioſæ memoriæ Friderici regis Siciliæ debitæ exequutioni demandata fuit, licet deinde ob temporum varietatem ſuum debitum effectum conſequuta non fuerit. Quumque etiam de anno* MDXXXVI. *& die* V. *Martii tunc dicti monaſterii commendatarius ſupradictas locationes & conceſſiones pro annuo canone unciarum* XLV. *confirmaſſet; ultimo loco de anno* MDLXII. *& die* XXIII. *Maii pariter tunc dicti monaſterii de Caſamari commendatarius, receptis nonnullis pecuniarum ſummis & canonibus decurſis annuis, prænominatas conceſſiones & locationes, reſervato tamen beneplacito ſanctæ ſedis apoſtolicæ, pro eodem canone unciarum* XLV. *confirmavit, & approbavit: ſed quum poſtmodum de anno* MDLXVIII. *illuſtriſſimus & reverendiſſimus dominus frater Michael Bonellus cardinalis Alexandrinus de dicta abbatia ſeu monaſterio de Caſamari auctoritate apoſtolica commendatus fuiſſet, habita notitia de ſupradictis ſententiis & juribus ſuæ eccleſiæ, ac uſurpatione & ſpolio prædictis, hujuſmodi cauſam pro recuperatione dicti caſtri in ſacræ rotæ auditorio, volens jura dicti ſui monaſterii in priſtinum reducere, ut bonum commendatarium decet, reaſſumpſit, & tandem ſervatis ſervandis de anno* MDLXXI. *a bonæ memoriæ Gaſpare Gropperio pariter rotæ auditore ſententiam favorabilem contra dictos Villarant ſpoliatores & occupatores dicti caſtri, & ſucceſſive illius vigore rem judicatam, & literas exequuto-*

 quuto-

quutoriales in forma ſolita pariter ſervatis ſervandis obtinuit, quarum vigore dicti domini de Villarant per XVIII. *circiter annos in cenſuris eccleſiaſticis ob non paritionem dictarum literarum exequutorialium inſorduerunt; ſequuta deinde morte Johannis de Villarant ultimi occupatoris dicti caſtri, illuſtriſſima domina Johanna de Villarant dicti Johannis filia, & uxor illuſtriſſimi domini Franciſci del Boſco comitis Vicarii prætendens in dicto jure emphiteutico dicti caſtri ſuccedere, & jus ſibi in dicto caſtro competere, in poſſeſſionem ejuſdem caſtri una cum dicto illuſtriſſimo domino Franciſco ſuo viro ſe intruſit, & de præſenti intruſa reperitur, contra quos illuſtriſſimos dominos conjuges intruſos, idem illuſtriſſimus dominus cardinalis Alexandrinus commendatarius procedens, literas exequutoriales a domino Petro Franciſco Gipſio pariter rotæ auditore obtinuit, & in dies pro illarum ulteriori exequutione inſtetit & inſtat. Quumque idem illuſtriſſimus dominus cardinalis Alexandrinus commendatarius cognoſcat, & ſciat mentem Catholicæ Majeſtatis regis Philippi fuiſſe & eſſe, ut tandem hujuſmodi lis terminetur, & ad aliquam honeſtam concordiam deveniatur; volens præterea idem illuſtriſſimus dominus cardinalis Alexandrinus commendatarius, quantum in ſe eſt, ſalvis tamen & ſemper reſervatis juribus dictæ ſuæ eccleſiæ, menti & voluntati dictæ Catholicæ Majeſtatis ſe conformare, cum eadem illuſtriſſima domina Johanna ad infraſcriptam concordiam devenire intendit. Quapropter ut ea, quæ hucuſque concordata & ſtabilita fuerunt, majoris roboris firmitate, & matura & ſollemni ſtipulatione interveniente muniantur; hinc eſt quod anno a Nativitate ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti* MDXCVI. *indictione* IX. *die vero* XXIX. *menſis Novembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Clementis Papæ VIII. anno* V. *in præſentia mei notarii, teſtiumque in-*

inſraſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, præſentia præſens & perſonaliter conſtitutus ſupradictus illuſtriſſimus & reverendiſſimus dominus frater Michael Bonellus epiſcopus Albanenſis ſanctæ romanæ eccleſiæ cardinalis Alexandrinus nuncupatus, modernus commendatarius dicti monaſterii de Caſamari, reſervato tamen conſenſu & beneplacito ſanctæ ſedis apoſtolicæ impetrando, & expediendo per dictos illuſtriſſimos dominos Johannam & Franciſcum conjuges eorum propriis ſumptibus & expenſis intra binos menſes proximos, & non alias, aliter, nec alio modo, de quo proteſtatur expreſſe, ſponte, ac omni meliori modo, via, jure, cauſa, & forma, quibus magis, melius, & validius de jure fieri poteſt & debet, ac potuit & debuit, conceſſit in emphiteuſim dictæ illuſtriſsimæ dominæ Johannæ de Villarant abſenti, reverendo domino Andreæ de Argumento clerico Savenſi Agrigentinæ diœceſis ejus procuratori, meque notario tanquam publica & authentica perſona pro ea, omnibuſque aliis, quorum intereſt vel intereſſe poterit quomodolibet in futurum, præſenti & legitime ſtipulanti dictum caſtrum Pritii ut ſupra poſitum, cum omnibus ſuis juribus, membris, & pertinentiis ad quartam dictæ illuſtriſſimæ dominæ Johannæ generationem tantum, incipiendam ab ea, ita quod ipſa illuſtriſsima domina Johanna intelligatur & ſit prima generatio, ſecunda vero generatio ſint ejus filii legitimi & naturales, tertia autem generatio ſint filii legitimi & naturales ſuorum filiorum legitimorum & naturalium, & ſic ejus nepotes ordine ſucceſsivo: quarta vero & ultima generatio ſint pronepotes ipſius illuſtriſsimæ dominæ Johannæ, in quibus omni ambiguitate ceſſante, terminata ſit, & eſſe cenſeatur prædicta conceſsio. Item ſimili modo hujuſmodi titulo ad quartam generationem in emphiteuſim dictus illuſtriſsimus dominus cardinalis commendatarius quo ſupra nomine ceſsit, & conceſsit

omnia & ſingula jura & actiones in ſimilibus conceſſionibus in emphiteuſim ad quartam generationem concedi ſolita, ad dictum monaſterium propterea quomodolibet competentes, & competituras, competentiaque, & competitura, ita quod ſequutis tamen pro parte dictæ illuſtriſsimæ dominæ Johannæ infraſcriptis, & illis plenarie adimpletis, ipſa illuſtriſsima domina Johanna, & ſui in hujuſmodi conceſſione comprehenſi dictis juribus dictiſque actionibus uti, & gaudere pacifice & quiete poſsint & valeant ad habendum, tenendum, fructificandum dictum caſtrum cum dictis ſuis omnibus juribus, membris, & pertinentiis, prout in ſimilibus locationibus, & conceſſionibus in emphiteuſim ad quartam generationem de jure fieri permittitur, dans & concedens ex nunc, præmiſsis ſemper ſalvis, dictus illuſtriſsimus dominus cardinalis commendatarius eidem illuſtriſsimæ dominæ Johannæ abſenti, dicta ſtipulatione interveniente, liberam facultatem dictum caſtrum una cum dictis ſuis juribus, membris, & pertinentiis retinendi, & poſſeſſionem continuandi, & ſi neceſſe fuerit, & eidem videbitur, de novo vigore præſentis inſtrumenti illius poſſeſſionem capiendi, apprehendendi, & continuandi, durante tamen hujuſmodi conceſſione, & non alias omni meliori modo, ut ſupra. Hanc autem conceſſionem in emphiteuſim ad quartam generationem fecit idem illuſtriſsimus dominus cardinalis Alexandrinus quo ſupra nomine, & dicta reſervatione, & pactis infraſcriptis ſemper ſalvis in favorem dictæ illuſtriſsimæ dominæ Johannæ abſentis, dicta ſtipulatione interveniente, quia idem dominus Andreas de Argumento ejus procurator, ut docuit publico inſtrumento procurationis hujuſmodi rogato per dominum Franciſcum de Provato notarium publicum Panormitanum ſub die IX. *menſis Maii proxime præteriti per teſtes recognito, & mihi notario conſignato tenoris &c. pro qua etiam illuſtriſſima domina Johanna de rato pro-*

promiſit, ita quod &c. alias &c. accedente etiam conſenſu, præſentia, & voluntate illuſtriſſimi & reverendiſſimi domini Simeonis tituli ſanctæ Anaſtaſiæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis de Terranova nuncupati præſentis, & ſuum conſenſum, conſilium, & auctoritatem præſtantis, recognovit in dominum dicti caſtri Pritii, una cum omnibus ſuis juribus prædictis præfatum illuſtriſſimum dominum cardinalem Alexandrinum commendatarium præſentem, acceptantem, & pro ſe, ſuiſque in dicto monaſterio ſucceſſoribus commendatariis legitime ſtipulantem, & promiſit dicto illuſtriſſimo domino cardinali Alexandrino commendatario, & illius pro tempore in dicto monaſterio ſucceſſoribus commendatariis annuatim ſolvere hic in urbe pro canone dicti caſtri Pritii ſcuta M. *auri in auro boni & juſti ponderis currentis in Romana curia in feſto Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, incipiendo primam ſolutionem in feſto Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti præſentis currentis anni* MDXCVI. *& in fine dicti anni* MDXCVI. *& ſic ut ſequitur in fine cujuslibet anni continuandi, hujusmodi conceſſione durante, & ulterius idem dominus Andreas procurator cum eadem rati promiſſione, ac conſenſu & auctoritate prædicti illuſtriſſimi domini cardinalis de Terranova ut ſupra præſentis, & ſuum conſenſum præſtantis, promiſit ſolvere eidem illuſtriſſimo domino cardinali Alexandrino commendatario omnes canones hucuſque decurſos & debitos per dictos dominos de Villarant ad rationem unciarum* XLV. *monetæ currentis in regno Siciliæ quolibet anno, quæ conſtituunt ſcuta* MMCCCCLXXV. *ad rationem juliorum* X. *pro ſcuto uſque ad diem adeptæ poſſeſsionis ſeu intruſionis dicti caſtri per dictam illuſtriſsimam dominam Johannam, a die vero poſſeſsionis & intruſionis prædictæ uſque ad dictam feſtivitatem Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti proxime præteritam, & ſic demum ſucceſsive annis ſingulis, hujuſmodi*

ſmodi conceſsione durante, ad rationem ſcutorum M. *auri in auro boni & juſti ponderis in urbe currentis, quam ſummam in totum aſcendere calculaverunt ad ſcutorum novem millia auri in auro juſti & boni ponderis. Item dominus Andreas cum rati promiſsione & conſenſu prædictis promiſit dicto illuſtriſsimo domino cardinali Alexandrino commendatario præſenti realiter & cum effectu ſolvere hic in urbe ſcuta bis mille auri in auro pro ſolutione fructuum & expenſarum, in quibus dicti de Villarant, & eadem illuſtriſsima domina Johanna reſpective condemnati reperiuntur, & ſunt in dictis ſententiis, & pro laudemio competenti dicto illuſtriſsimo domino cardinali commendatario pro hac conceſsione in emphiteuſim nunc per ipſum facta, quorum quidem fructuum, expenſarum, & laudemii valor, licet multo pluris importet, tamen dictus illuſtriſsimus dominus cardinalis commendatarius totum illud plus, etiamſi fuerit magna quantitas, eidem illuſtriſsimæ dominæ Johannæ abſenti, dicta ſtipulatione interveniente, donavit & remiſit, quæ quidem ſcutorum novem millia auri in auro pro canonibus, ut ſupra decurſis uſque ad feſtivitatem Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti proxime præteritam, necnon alia ſcuta bis mille auri in auro pro expenſis, & laudemio ut ſupra debita, & ſic in totum ſcutorum undecim millia auri in auro idem illuſtriſsimus dominus cardinalis Alexandrinus commendatarius ſponte ac omni meliori modo ut ſupra confeſſus fuit habuiſſe & recepiſſe in pluribus & diverſis vicibus, videlicet ſcuta* MMDCCCXXX. *monetæ, & ſcuta* MDCLX. *auri in auro ſibi alias, & ſub die* XXVIII. *Februarii proxime præteriti per acta domini Quintiliani Gargarii notarii, mutuata ab illuſtriſsimo domino cardinali de Terranova prædicto, & quæ idem illuſtriſsimus dominus cardinalis de Terranova deinde, & ſub die* XII. *menſis Aprilis proximi præteriti in actis mei notarii declaravit ſpectare & pertinere*

ad

ad dictos illuſtriſsimos dominos Johannam & Franciſcum conjuges, item alia ſcuta quatuor mille auri in auro ſub die XIV. *menſis Julii proximi præteriti in actis dominorum Mauricii Boccarini, & Melchioris Volæ notariorum in ſolidum rogatorum, ſoluta illuſtri domino Marcello Melchiorio Romano per illuſtrem dominum Caſtellium Pinellum Januenſem vigore literarum cambii magnificorum dominorum Jacobi Zateræ, & Johannis Groppi, necnon alia ſcuta* MMMCCCXC. *auri in auro ſub die* XXI. *Auguſti proxime præteriti in actis eorundem Boccarini & Volæ notariorum, ſoluta eidem illuſtri domino Marcello per eundem dominum Pinellum vigore literarum cambii eorundem Zateræ & Groppi, & quorum ſcutorum ſolutionem, & omnia in dictis duobus inſtrumentis contenta idem illuſtriſsimus dominus cardinalis Alexandrinus commendatarius in actis eorundem Boccarini & Volæ notariorum ſub die* XIV. *Novembris approbavit, & confirmavit, ad quæ omnia & ſingula reſpective inſtrumenta in omnibus & per omnia relatio habeatur, de quibus quidem ſcutis undecim millibus auri in auro in totum ut ſupra ſolutis, idem illuſtriſsimus dominus cardinalis commendatarius quietavit &c. exceptionique &c. renunciavit &c. per pactum &c. Item dominus Andreas procurator quo ſupra nomine, & cum rati promiſsione & conſenſu prædictis promiſit dicto illuſtriſsimo domino cardinali Alexandrino commendatario præſenti & ſtipulanti ut ſupra obtinere dictæ illuſtriſsimæ dominæ ſuæ principalis ſumptibus & expenſis beneplacitum ſanctæ ſedis apoſtolicæ, infra tres menſes expedire, & illud expeditum in publicam formam & authenticam tradere & conſignare eidem illuſtriſsimo domino cardinali Alexandrino commendatario. Item dictus dominus Andreas procurator quo ſupra nomine, & cum rati promiſſione ac conſenſu prædictis promiſit dicto illuſtriſſimo domino cardinali*

Ale-

Alexandrino commendatario præſenti & ſtipulanti ut ſupra infra tres menſes proximos facere ratificare præſens inſtrumentum in forma juris valida per dictam illuſtriſſimam dominam Johannam cum renunciationibus, clauſulis ſolitis & conſuetis, & requiſitis a jure & ſtatutis dicti regni Siciliæ pro validitate contractuum & obligationum per mulieres faciendorum, inſtrumentumque ratificationis hujuſmodi in publicam & authenticam formam tradere & conſignare: quibus omnibus & ſingulis, ut ſupra, plenarie adimpletis, & non alias, dictus illuſtriſsimus dominus cardinalis commendatarius ex nunc renunciavit liti, & cauſæ prædictis, ut præfertur, in curia, & præſertim in ſacræ rotæ auditorio pendentibus, & conſenſit caſſationi & annullationi excommunicationis & cenſurarum contra dictam illuſtriſsimam dominam Johannam, & illuſtriſsimum dominum Franciſcum ejus virum tanquam intruſos in dicto caſtro obtentarum, & quatenus illuſtriſsimi domini conjuges vigore conſenſus alias in actis meis per præfatum illuſtriſsimum dominum cardinalem commendatarium præſtiti, abſoluti reperiantur, abſolutionem prædictam, adimpletis tamen pro parte dictorum illuſtriſsimorum dominorum conjugum omnibus ſupradictis, & non alias, ut ſupra approbavit, & approbat, cum pacto, mutua & legitima ſtipulatione interveniente, vallato, quod ſi pro parte dictæ illuſtriſ. dominæ Johannæ in præmiſſis, ſeu aliquo præmiſſorum conventum fuit, & præmiſſa non fuerint plenarie adimpleta & obſervata, necnon etiam per prædictam illuſtriſ. dominam Johannam, & ſuos in hujuſmodi conceſſione comprehenſos ceſſatum fuerit futuris temporibus per triennium continuum in ſolutione dicti canonis ſcutorum M. *auri in auro hic in urbe ſolvendorum, hujuſmodi conceſſione durante, præſens inſtrumentum reſpectu jurium ex eo prædictæ illuſtriſ. dominæ Johannæ quomodolibet competentium cenſeatur*

& ſit

& ſit pro non ſtipulato, nullumque jus ex eo tacite vel expreſſe cenſeatur acquiſitum dictæ illuſtriſs. dominæ Johannæ, ejuſque filiis & ſucceſſoribus in dicta emphiteuſi nominatis & expreſsis, ſed bene dicto illuſtriſsimo domino cardinali commendatario, ejuſque in dicta abbatia commendatariis ſucceſſoribus; qui abſque declaratione & juris interpretatione, & etiam abſque alio judicis decreto ſeu ſententia poſsint redire ad jura ſua, & ad ulteriorem exequutionem dictarum ſententiarum rei judicatæ & literarum exequutorialium procedere, ita quod ſtatim ipſa illuſtriſs. domina Johanna, & illuſtriſs. dominus Franciſcus conjuges cenſeantur & ſint innodati, & iterum incurſi in dictas cenſuras eccleſiaſticas ob non paritionem dictarum literarum exequutorialium contra eoſdem obtentarum, quibus omnibus ob non adimplementum pro parte dictæ illuſtriſs. dominæ Johannæ faciendum in aliquo non cenſeatur, nec ſit tacite vel expreſſe præjudicatum, ſed omnia remaneant in ſuo eſſe & vigore ac ſi præſens inſtrumentum & concordia non fuiſſet facta, nec ſtipulata, quia ſic actum &c. finita vero hujuſmodi conceſſione, ac etiam in eventum, in quem dicta illuſtriſs. domina Johanna, & alii in hujuſmodi conceſſione comprehenſi futuris temporibus ceſſarent, & deficerent per triennium continuum in ſolutione dicti canonis ſcutorum M. *auri in auro, ut ſupra, hujuſmodi conceſſione durante, dictum caſtrum Pritii cum omnibus ſuis juribus, membris & pertinentiis prædictis, ac quibuſvis melioramentis etiam ad notabilem ac notabiliſſimam ſummam aſcendentibus redeat ad dictum monaſterium de Caſamari, liceatque dicto illuſtrîſſimo domino cardinali Alexandrino commendatario, & ſuis in dicto monaſterio ſucceſſoribus commendatariis poſſeſſionem dicti caſtri propria auctoritate, & ſine aliqua judicis vel curiæ licentia ſeu mandato, & abſque ſpolii & attentatorum vitio capere & apprehendere & de illa ſe inveſtire,*

 ita

ita quod neque dicta illuſtriſs. domina Johanna, neque ejus filii, nepotes, & pronepotes in dicta emphiteuſi ſucceſſores poſſint dicti caſtri poſſeſſionem impedire ſub quolibet prætextu prædictornm melioramentorum factorum & faciendorum, quibus ex nunc prout ex tunc expreſſe renunciarunt, neque illorum æſtimationem in toto, vel in parte prætendere, aut occaſione illorum quic quam retinere; quinimmo pro majori cautela & ſecuritate dictæ abbatiæ de Caſamari, & dicti illuſtriſſimi domini cardinalis commendatarii, & ſucceſſorum illa titulo donationis irrevocabilis & inter vivos, licet ad quamcumque ſummam etiam notabiliſsimam aſcenderent, donavit & ceſsit. Item ſequuta morte dictæ illuſtriſs. dominæ Johannæ, quæ eſt prima generatio, ejus filii legitimi & naturales, qui erunt in ſecunda generatione, teneantur obitum dictæ ſuæ matris, & eorum nomen infra ſex menſes a die obitus prædicti notificare eidem illuſtriſsimo domino cardinali Alexandrino commendatario, & ſuis in dicto monaſterio ſucceſſoribus, & ab iiſdem petere & obtinere præfatam emphiteuſim dicti caſtri pro ſecunda generatione, & pro dicta emphiteuſi dicto illuſtriſsimo domino cardinali commendatario, & ſuis in dicto monaſterio ſucceſſoribus ſolvere ſcuta x. nomine recognitionis, & pariter ſequuta morte dictorum filiorum, alii filii & reſpective nepotes, & pronepotes, qui ſunt in tertia & quarta generatione teneantur infra ſex menſes a die obitus computandos de obitu prædicto, & eorum ſuperviventia & nominibus certiorem reddere prædictum illuſtriſsimum dominum cardinalem Alexandrinum commendatarium, & ejus in dicto monaſterio ſucceſſores, & ab eo & eiſdem reſpective petere emphiteuſim, & pro ea eiſdem ſolvere dicta ſcuta decem, quam emphiteuſim dictus illuſtriſsimus dominus cardinalis commendatarius, & ſui in dicta abbatia ſucceſſores cum eiſdem pactis, prout ſupra, concedere teneantur, dicta ſcilicet

licet quarta tantum generatione durante, prout ſupra, quæ omnia &c. aliaque &c. pro quibus omnibus & ſingulis obſervandis plenarie firmiterque tenendis & adimplendis prædictus illuſtriſsimus dominus cardinalis Alexandrinus commendatarius ſeipſum, & ſuos in dicto monaſterio commendatarios ſucceſſores, omniaque & ſingula dicti monaſterii bona mobilia & immobilia, præſentia & futura ubique poſita & exiſtentia, dictus vero Andreas procurator illuſtriſs. dominam Johannam ſuam principalem, & dictæ illuſtriſs. dominæ Johannis hæredes & ſucceſſores, omniaque ſingula dictæ illuſtriſs. dominæ Johannæ, ſuorumque prædictorum bona mobilia & immobilia, præſentia & futura ubique poſita exiſtentia reſpective ad invicem ſingula ſingulis ſemper congrue referendo, obligaverunt, & hypotecaverunt, & quilibet ipſorum reſpective obligavit & hypotecavit in ampliori forma cameræ apoſtolicæ &c. citraque &c. renunciantes reſpective cuicunque appellationi, reclamationi, & recurſus petitioni, aliiſque clauſulis, cautelis, & rigoribus in ſimilibus obligationibus cameralibus adponi ſolitis, debitis, & conſuetis, toties quoties opus fuerit, juxta ſtilum dictæ curiæ latius extendendis, conſentientes &c. & ad majorem præmiſſorum firmitatem dictus illuſtriſsimus dominus cardinalis Alexandrinus commendatarius, adpoſita manu in pectore more prælatorum, dictus vero dominus Andreas procurator, tactis ſacroſanctis Dei ſcripturis, in manibus mei notarii ad ſacroſancta Dei euangelia juraverunt, & quilibet ipſorum reſpective juravit: ſuper quibus petitum fuit a me notario publico infraſcripto unum vel plura, publicum ſeu publica fieri & confici inſtrumentum vel inſtrumenta, prout opus fuerit.

Ego frater Michael Bonellus cardinalis Alexandrinus commendatarius do, concedo, & promitto, ut ſupra.

Ego Simeon cardinalis de Terranova meum conſenſum præſto, ut ſupra.

Ego Andreas Argumentus procurator quo ſupra nomine recipio, & promitto, ut ſupra.

Ego Franciſcus Penia auditor rotæ ſupradictis omnibus teſtis interfui.

Ego Cyriacus de Lenis Romanus ſupradictis omnibus teſtis interfui.

Ego Laurentius Stabilis presbyter Toletanus ſupradictis omnibus teſtis interfui.

Acta fuerunt hæc Romæ in palatio Bonello, & in camera ſolitæ audientiæ prædicti illuſtriſsimi domini cardinalis Alexandrini commendatarii, præſentibus ibidem audientibus & intelligentibus, his videlicet dicto illuſtri & reverendiſsimo domino Franciſco Penia Hiſpano ſacræ rotæ auditore, domino Cyriaco de Lenis Romano copperio, & domino Laurentio Stabili Clerico Toletano auditore prædicti illuſtriſsimi domini cardinalis Alexandrini commendatarii, qui ſe eorum propria manu in ſingulis ut ſupra ſubſcripſerunt, teſtibus ad præmiſſa habitis, ſpecialiterque vocatis & rogatis: & ego Horatius Gratianus juris utriuſque doctor Romanus publicus Dei gratia apoſtolica auctoritate, & curiæ Burgi ſancti Petri de urbe notarius de præmiſsis rogatus præſens inſtrumentum ſubſcripſi & publicavi, ac ſolito meo ſigno munivi in fidem requiſitus.

Locus ✝ ſigilli.

Hactenus ſollemnis inveſtituræ inſtrumentum de caſtro Pritii, quod cardinalis Alexandrinus commendatarius in emphiteuſim conceſſit. Exſtant etiam in præfato codice nonnulla pro ſancti-Dominici Sorano cœnobio

nobio privilegia, & inſtrumenta, quæ Juliano de Ruvere cardinale monaſterii commendatario, a Johanne Jacobi de Uvis monacho collecta ſunt atque ex autographis exſcripta, quem eundem arbitror fuiſſe, qui priora Caſæmarii diplomata, & inſtrumenta in hoc ipſo chartario tranſcripſit. Verum antequam illa proferat, hæc de more proloquitur: „ In hoc libro inferius ſcribentur de
„ verbo ad verbum omnia privilegia tam regum, quam
„ principum, & aliorum dominorum, & perſonarum
„ particularium conceſſa & donata, & donationes factas
„ venerabilibus monaſteriis Caſæmarii, & ſancti Do-
„ minici ſitis in territorio Verulano, & Sorano: & erit
„ liber iſte ſic completus & ordinatus in modum in-
„ ventarii ad conformationes originalium privilegio-
„ rum, & inſtrumentorum ad laudem & gloriam omni-
„ potentis Dei, & glorioſæ virginis Mariæ genitricis
„ Jeſu & Domini noſtri, necnon ad honorem & exal-
„ tationem reverendiſſimi in Chriſto patris & domini,
„ domini Juliani ſancti Petri ad Vincula ſacroſanctæ
„ Romanæ eccleſiæ epiſcopi Oſtienſis, perpetui com-
„ mendatarii eorundem monaſteriorum præſentis tem-
„ poris MCCCCXC. per me magiſtrum Johannem Jacobi
„ de Uvis de Babuco humillimum profeſſorem ſacræ
„ theologiæ, ejuſdem reverendiſſimi domini ſervulum
„ fideliſſimum ac devotum, monachum profeſſum mo-
„ naſterii Caſæmarii, & ejus alumnum, inceptus & con-
„ formatus de menſe Auguſti die XXV. ſupradicti anni:
„ & primo ponentur privilegia, & fundamenta mona-
„ ſterii ſancti Dominici de Sora, quæ nunc præ mani-
„ bus habemus, ut clarius res, & jura videantur. Sic monachus ſcriptor in codice; cujus tamen proloquium toti huic chartario præponendum exiſtimo, ita quod initia & fundamenta monaſterii Caſæmarii, aliaque diplomata, & inſtrumenta, quæ primo loco poſita ſunt, non-

nonniſi poſt Sorani cœnobii inſtrumenta, privilegia, & jura ſint adponenda. Quod vero in chartario dolendum animadverti illud eſt, quod monachus ſcriptor non omnes horum monaſteriorum chartas exſcripſit atque collegit, & præcipue Sorani, cujus pleræque deſiderantur, unde chartarium maximo ſacræ antiquitatis detrimento mutilum dolui.

FINIS.

INDEX RERUM.

A

ABBAS Caſæmarii s. Galgano confeſſori morienti divinitus adeſt 17. in loco ſepulcri ſacellum condit *ibid.* alter electus epiſcopus Soranus *ibid.*
Adæ Perſeniæ abbatis ſcripta in Caſæmarii bibliotheca 12. 13.
Alachrinus monachus Caſæmarii prior cujusnam eccleſiæ epiſcopus 13. in Teutoniam Pontificis legatus *ibid.* s. Dominico ordinis Prædicatorum fundatori perfamiliaris 14. inter beatos Ciſtercienſes adſcriptus *ibid.* prodigii a s. Dominico patrati ſpectator 15.
Albanus Carolus CLEMENTIS XI. pater 121.
Albericus monachus cardinalis vitæ s. Dominici abbatis ſcriptor 42. ejus teſtimonium de fundatione Sorani cœnobii 43. 44. 54.
Aldobrandinus Cinthius cardinalis 117.
—— Petrus item cardinalis 115.
Alexander II. Pontifex 92. 93.
Alexander III. epiſcopos conſecrat Frajamundum Caſæmarii abbatem, & Rodulphum procuratorem 10. 11. ejus decretalis epiſtola *ibid.* monaſterium privilegiis ampliſſimis donat 24 *& ſeqq.*
Alexandri IV. diploma 73.
Amaſena fluviolus prope Caſæmarium 2.
Amatus Caſæmarii abbas 18. 96.
s. Andreæ eccleſia cathedralis Verulis 66. 12.
s. Angeli monaſterium in Sicilia 71. Caſæmario unitum 73.
s. Antonii veteris eccleſia Neapoli 73. ejus grangia de jure monaſterii Caſæmarii *ibid.*
Aquilejenſis patriarcha. *V.* Gerra.
Aragonius Franciſcus 105.
—— Ludovicus cardinalis Caſæmarii abbas commendatarius 101. ſepulcralis inſcriptio 103.
Arpinum inſigne oppidum 3.
Aſtura caſtrum Latii in Volſcis 13.
Auguſtinus Caſæmarii abbas 11. regularem diſciplinam in monaſterio reſtituit 94. monaſterium inſtaurat & ornat 95. Ferentinas epiſcopus aſſumitur 11. 95. alter epiſcopus Verulanus 10. 18. in Caſæmarii baſilica ſepultus 10.
Aurunca vetus civitas in regno Neapolitano 13.

Babu-

B

BAbucum antiquum oppidum in Campania 3. 76. 108. 111.
Baptiſta Hortenſius Verulanus antiſtes 82.
Barberinus Franciſcus cardinalis Caſæmarii abbas commendatarius 84. baſilicæ pavimentum ſternit 85. campanam fundendam curat 87. s. Mariæ *de Regimento* eccleſiam inſtaurat 89. ejus munera præclare geſta 118. ſepulcrale elogium 119. 120.
Baronius Cæſar Cardinalis 4. 8. 9. 37. & *ſeqq.* 55. 90.
de Barono Gregorius, & Leonardus monaſterii Caſæmarii benefactores 9.
s. Bartholomæi Triſulti monaſterium 2. 42.
Bartholomæus Caſæmarii abbas 60.
Baſilica Caſæmarii. *V.* Caſæmarii baſilica.
Battellus Johannes Chriſtophorus monaſterium Caſæmarii commendatarii nomine viſitator. 2. Actorum viſitationis ejus codex MS. *ibid.* 68. 71. 77. baſilicæ partes accuratiſſime deſcribit 80. & *ſeqq.* 87.
Benedictus XII. abbatem Caſæmarii ſibi eligendum reſervat 60. ejus diplomata *ibid.*
Benedictus Verulanus primus Caſæmarii abbas 5. 90. heremiticam vitam arripit 91. alter ejusdem monaſterii abbas 18. 96.
ss. Benedicti & Bernardi altare in baſilica Caſæmarii 85.
s. Bernardus abbas monaſterium Caſæmarii adiit 5. Ad illum Johannis abbatis Caſæmarii epiſtola 6.
Bollandus Johannes 42.
Bonarota Michael Angelus 101.
Bonaventura Alexander 78.
Bonellus Antonius 114.
—— Franciſcus 117.
—— Matthæus caſtrum Pritii ſancti Angeli cœnobio donat 74.
—— Michael cardinalis Alexandrinus Caſæmarii abbas commendatarius 37. monaſterii Sanctorum reliquias Verulas tranfert 66. Pritii caſtrum in emphiteuſim tradit 75. 85. ejus munera adminiſtrata 113. celebri ad reges legatione honeſtatus 114. ejus bibliotheca *ibid.* ſepulcrale elogium 115. 116. 142.
Bonifacii VIII. diploma pro Caſæmarii monaſterio 130. 131.
del Boſco Franciſcus 75.
—— Joſephus Catholicæ princeps caſtrum Pritii in emphiteuſim obtinet *ibid.*
—— Vincentius *ibid.* 142.
Burgheſius Scipio cardinalis Caſæmarii abbas commendatarius 69. 117. ejus munera præclare geſta *ibid.* caſtrum Pritii in emphiteuſim confirmat 142.
Bzovius Abraham 15.

C

CAffarelliæ gentis nobilitas 117.
Caii Marii Arpinatis domus in loco Caſæmarii 3.
Campanaria familia 69.

Caracciolus Engenius 73. 105. 117.
s. Caroli altare in baſilica Caſæmarii 83.
Caſæmarii monaſterii ſitus 2. 3. quare *Caſæmarii* dictum *ibid.* a Verulanis conditum 4. ss. Johannis & Pauli nomini ſacrum *ibid.* ejus primi monachi 5. Eugenio III. Pontifice Ciſterciense inſtitutum amplectitur *ibid.* 19. 96. 97. a Baronia familia latifundiis cumulatum 9. a Pontificibus & Imperatoribus ſummo in honore habitum *ibid.* 10. ejus laudes 18. 19. ab Honorio III. ſub apoſtolica protectione ſuſceptum 23. ab Alexandro III. ampliſſimo diplomate donatum 24. & *ſeqq.* ejus bona ab Honorio privilegiis aucta 32. & *ſeqq.* ss. Juſti & Paſtoris in Hiſpania cœnobium eidem unitur 35. 36. item s. Dominici Soranum monaſterium 38. 39. a Saracenis direptum 56. a Soranis vexatum *ibid.* monachis diminutum 58. bona & jura occupata 58. 59. miniſtris locata 61. quando in commendam traditum 62. a monachis ſedi apoſtolicæ renunciatum 64. 66. Sanctorum reliquiæ Verulis ſervatæ 66. 67. eccleſiarum elenchus, quæ olim ad illud ſpectabant 69. alter earum, quæ hodie exſtant 70. bonorum ſeries 71. 72. 73. Pritii oppidum in Sicilia ei adjunctum 73. caſtri Babuci partis olim poſſeſſor 76. præſens forma deſcripta 77. 78. ichnographica tabula 77. ejus antiqua bibliotheca 13. 78. priorum abbatum ſeries 90. & *ſeqq.* pro illo diplomata nunc primum vulgata 126. & *ſeqq.*
Caſæmarii baſilica vetus ab Eugenio III. in honorem Deiparæ conſecrata 20. ab Honorio III. novo opere ædificata iterum dedicatur 20. 21. primus lapis ab Innocentio III. ſacratus 79. præſens forma deſcripta *ibid.* & *ſeqq.* proſpectus in ærea tabula *ibid.* ichnographia 80. campanariæ turris deſcriptio 87. indulgentiis donata 131. & *ſeqq.*
Caſæmarienſe chartarium 37. 90. 96. 125. quinam ejus ſcriptor 157.
Caſinenſe monaſterium a Saracenis direptum 57.
de Ceccano Johannis chronicon 17. 96.
Celeſtini III. diploma 44.
Ciaconius Alphonſus 111. 112.
Ciceronis villa 39.
Ciſterciense menologium 8. 14.
Ciſtercienſium monachorum infortunia 57. 58. 96.
Claræ-vallis monaſterium in Gallia 5.
Clavelius Bernardus 3. 39.
Clemens V. Pontifex ſedem apoſtolicam in Gallias transfert 58.
Clementis VII. diploma 105.
CLEMENS XI. ante Pontificatum Caſæmarii monaſterii abbas commendatarius 2. 7. corpus s. Dominici abbatis transferendum curat 53. eidem novum altare inſtaurat *ibid.* 77. ſacram miſſionem jubet in Caſæmarii baſilica 78. ejus altaria reſtituit 85. munera ante Pontificatum

catum adminiſtrata 121. 122. ejus laudes 123.
Columna Proſper cardinalis primus Caſæmarii abbas commendatarius 62. 97. ejus munera 98.
Conradus Teutonicus s. Dominici precibus prodigioſe habitum ordinis induit 15.
Coſta Georgius cardinalis 100.
de Creſcentiis Angelus Caſæmarii abbas commendatarius 103. 104.
s. Crucis eccleſiæ prope Caſæmarii baſilicam deſcriptio 87. 88.
Curatii monaſterium 11.

D

s. DOminici abbatis vita ab Alberico monacho ſcripta 42. corpus in ejus eccleſia conditum 53. 54. ejus translatio *ibid*. feſtivitas ſollemniter culta 55.
—— Eccleſia a Paſchale II. dedicata 45. ejus deſcriptio 53. ichnographica tabula *ibid.*
—— Monaſterium. *V.* Soranum monaſterium.
s. Dominicus ordinis Prædicatorum fundator divino privilegio donatus 14. 15.

E

EUgenius III. Pontifex 5. Caſæmarii veterem baſilicam conſecrat 20. monachos nigros e Caſæmario expellit 96. Ciſtercienſes inducit *ibid.* 97.
Eugenii IV. diploma 61. 62.

F

FAbraterria oppidum in Campania 71.
Ferdinandi Siciliæ regis reſcriptum 62. aliud ejus mandatum 66.
Ferrarius Philippus 55.
Fibrenus fluvius 39.
Frajamundus Caſæmarii abbas 10. Verulanus epiſcopus 11. Lateranenſi concilio interfuit *ibid.* Alexandro III. percharus 11. 23.
Fridericus II. Imperator Caſæmarium adit 50. unionem ejus cum Sorano cœnobio ſuo diplomate firmat 51. 52. Romanam eccleſiam affligit 57. privilegium pro Caſæmarii monaſterio 136. & *ſeqq.*
Fridericus rex Siciliæ donationem de caſtro Pritii s. Angeli cœnobio ratam habet 75.
Fucinum Marſorum lacus 39.

G

s. GAlgani heremitæ pia mors 17. ſacellum ejus nomini conditum *ibid.*
Geraldus ſive Girardus Caſæmarii abbas 16. a Gregorio IX. in graviſſimis negotiis adhibitus *ibid.* 79.
Gerra Petrus Soranus epiſcopus, mox Reatinus, & Montis-regalis, item Aquilejenſis patriarcha 17.
Gregorii IX. diploma 56. 57.
Gregorius XIII. Pontifex 76.

Gre-

Gregorius Caſæmarii abbas 24.
Guillelmus I. Siciliæ rex donationem de caſtro Pritii s. Angeli cœnobio ratam habet 74.
Guillelmi III. diploma pro Caſæmarii monaſterio 140. 141.

H

HEnrici V. Imperatoris privilegium pro Caſæmarii monaſterio 134. 135.
Henriquez Chryſoſtomus 8. 9. 14.
Honorius III. ante Pontificatum novam Caſæmarii baſilicam ędificat 20. 21. ſollemni ritu conſecrat *ibid*. baſilicam privilegiis & indulgentiis cumulat 22. monaſterium ſub apoſtolica protectione ſuſcipit 23. ss. Johannis & Pauli ſollemnitatem in Ciſtercienſi ordine celebrādam ſtatuit 31. eorum officium recitandum jubet *ibid*. bona monaſterii ampliſſimis privilegiis donat 32. 33. *& ſeqq*. diploma monaſterio ss. Juſti & Paſtoris in Hiſpania 35. aliud monaſterio Caſæmarii 36. Soranum cœnobium Caſæmario adjungit 38. 39. 45. unionis diploma 46. *& ſeqq*. aliud nunc primo vulgatum 127. *& ſeqq*.

I

JAcobillius Ludovicus 44. 55.
Jacobus Andreæ a Benedicto XII. Caſæmarii abbas electus 60.
—— alter de Tribiliano item Caſæmarii abbas 63. 64. 98.
Indulgentiæ Caſæmarii baſilicæ a Pontificibus elargitæ 131.
Innocentii III. decretalis epiſtola abbati Caſæmarii inſcripta 15. ejus diploma 44. 126. 127.
Joachimus Curatii abbas 11. an ejus corpus in baſilica Caſæmarii 82.
Johannes Caſæmarii abbas s. Bernardi diſcipulus 5. ejus ad illum epiſtola 6. *& ſeqq*. inter beatos ordinis Ciſtercienſis adſcriptus 8.
—— alter Innocentii III. Pontificis in Bulgariam legatus 15. in Galliam item & in Angliam 16. Meldis concilium juſſu Pontificis celebrat *ibid*.
—— alter 18. 90. monaſterium inſtaurat & ornat 91. 92. epiſcopus Verulanus electus *ibid*.
Johannes Sorani monaſterii abbas 5. conditoribus Caſæmarii monaſticum habitum tradit *ibid*.
Johannes epiſcopus Soranus 39.
Johannis XXII. Pontificis diploma pro Caſæmarii monaſterio 59. 60.
s. Johannis-baptiſtæ altare in baſilica Caſæmarii 82. 83.
ss. Johannes & Paulus s. Bernardi mortem prænunciant 8. iisdem ſacra vetus Caſęmarii baſilica 5. eorum feſtiva dies in Ciſtercienſi ordine ſollemnis 31. 32. eorum officium recitandum ſtatuitur *ibid*. eorumque ſacra nomina in litaniis majoribus implorandа *ibid*. alterutrius caput Verulis conditum 67.
Jongelinus Caſpar 13.
s. Joſephi altare in baſilica Caſæmarii

marii 84.
Joſephi Arpinatis ibidem pictura 81.
Julii II. Pontificis diploma 104. aliud pro Caſæmarii monaſterio 131. *& ſeqq.*
de Juliis Donatus Antonius 127.
ss. Juſti & Paſtoris cœnobium in Hiſpania Caſæmario unitum 35. 36.

L

LAmbertus Alatrienſis epiſcopus 93.
Lanceæ Chriſti Domini Romam translatio 100.
Laurentius Syracuſanus antiſtes 12.
Leo Oſtienſis epiſcopus 34.
Liris fluvius 39.
Lucas Caſæmarii alumnus Sambucinæ Claræ-vallis abbas 11. archiepiſcopus Conſentinus aſſumitur *ibid.* Joachimi abbatis diſcipulus *ibid.* ſummo in honore habitus 12. in Sicilia cruciatam indicit *ibid.* inter beatos Ciſtercienſes recolitur *ibid.*
Lucentius Iulius Antonius 55.

M

MAbillonius Iohannes 5. 42.
Manriquez Angelus 5. 16. 31. 38.
s. Mariæ Iacobi eccleſia Verulis 112.
s. Mariæ *de Regimento* ædes deſcripta 88. 89.
Marraccius Hippolytus 13.
Martinus V. Pontifex Caſæmarii monaſterium in commendam tradit 62.
Martis templum in loco Caſæmarii 3.
s. Matthæi apoſtoli brachium Verulis 67. altare in baſilica Caſæmarii 83. feſtiva dies ibidem celebris 84.
Matthæus Caſæmarii abbas 60.
de Monte-albo Barnabas 9. 14.
Montis ſancti Iohannis oppidum 3
Moretus Deſiderius Arpinas 83.
Moſca Helena Clementis XI. mater 121.

N

NIcolaus II. Pontifex præceptum libertatis Caſæmarii monaſterio concedit 92.
Nicolai IV. diploma 129. 130.
Nigronus Iohannes Franciſcus Cardinalis 53.
Novellus Caſæmarii abbas monaſterii regimine abdicat 64. annua penſione donatur 65. 98.
de Nuce Angelus 54.

P

PAſchalis II. diploma Verulanæ eccleſiæ 10. Auguſtinum Caſæmarii abbatem epiſcopum conſecrat *ibid.* eccleſiam cœnobii s. Dominici dedicat 45.
Petra Vincentius 105. 110.
s. Petri ad Vincula baſilica 101.
de Petro Antoninus Caſæmarii prior 58.
s. Petrus Damiani Faventiæ patronus 54.
Petrus Caſæmarii abbas 18.

Petrus Raynerii Soræ dominus s. Dominici cœnobium condit 39. *& ſeqq.* ejus charta 40. 41.
Philonarda familia 108.
Philonardus Antonius Verulanus antiſtes Caſæmarii abbas commendatarius 113.
—— Ennius cardinalis item Caſæmarii commendatarius 105. 108. ejus munera præclare geſta 109. *& ſeqq.* a Maximiliano Cæſare diplomate donatus 110. cardinalis aſſumptus 111. Verulanam eccleſiam inſtaurat & ornat 112. Caſæmarii commendam dimittit 113.
—— Fulvius Caſæmarii quoque commendatarius 113.
—— Philippus cardinalis 111.
Pii Operarii ſacerdotes ſacram miſſionem habent in Caſæmarii baſilica 78.
Placidus Caſæmarii abbas 11. epiſcopus Ferentinas aſſumitur *id.* 18. *96.*
Pritium inſigne oppidum in Sicilia 73. s. Angeli cœnobio donatum 74. in emphiteuſim traditum 75. ejus inveſtituræ inſtrumentum 142. *& ſeqq.*

R

RAynaldus Caſæmariii prior 58. *61.*
Raynerius Caſæmarii abbas 21.
Ricciullus Antonius archiepiſcopus Conſentinus 68.
Rodulphus Caſæmarii monachus & procurator epiſcopus Ferentinas 11.
Ruinartus Theodoricus 42.
de Ruvere Iulianus cardinalis Caſæmarii abbas commendatarius 64. 99. ejus munera adminiſtrata *ibid.* Lanceam Chriſti Domini Romam transfert 100. Pontifex aſſumptus 101.

S

SAbellus Cencius cardinalis Caſæmarii baſilicam inſtaurat 79. *V.* Honorius III.
Sambucinæ Claræ-vallis monaſterium 11.
Sanctius Raphael Urbinas pictorum clariſſimus 81.
Sanfelicius Antonius illuſtris chorographus 39.
Schomberg Nicolaus archiepiſcopus Capuanus, dein cardinalis Caſæmarii abbas commendatarius 105. ejus munera 106. ſepulcralis tabula 107.
Seccaretia Iohannes Caſæmarii monachus Bonifacii IX. bullator 61.
Sigonius Carolus 54.
Sixti IV. diploma 64. 65.
Sluſius Iohannes Gualterius cardinalis 121.
Sorani cives male vexant monaſterium Caſæmarii 56.
Soranum monaſterium s. Dominici Caſæmario unitum 38. 45. ejus ſitus 39. fundationis tempus *ibid.* ejusdem inſtrumentum 40. 41. s. Mariæ vocabulo primitus dictum 44. ejus eccleſia s. Dominici nomine dedicata 45. ichnographica tabula 53.
Spitilius Caſpar 55.
Stephanus Petrus 73.

Tan-

T

TAncredi IV. Siciliæ regis diploma pro Caſæmarii monaſterio 141.

Trithemius Iohannes 12.

V

VAticana bibliotheca 55.

Vaticanum archivum 60. 127.

Verulanæ eccleſiæ privilegia a Paſchale II. confirmata 10.

Verulis conditæ Caſæmarii ſacræ reliquiæ 66.

Ughellus Ferdinandus 10. 24. 39. 78. 96.

Vignolius Iohannes 62.

de Villarant Iohanna Pritii caſtrum in emphiteuſim obtinet 75.

s. Vincentii oppidum 71.

Vincentius Bellovacenſis epiſcopus 14.

Urſus Caſæmarii abbas 92. a regimine monaſterii deponitur 93.

de Uvis Iohannes Iacobi monachus Caſæmarienſis chartarii ſcriptor 157.

Z

ZAgorenſis archiepiſcopus a Pontifice archiepiſcopali pallio donatus 16.

de Zaulis Dominicus Verulanus antiſtes cathedralem ædem inſtaurat 112. s. Mariæ Iacobi eccleſiam recenti opere exornat *ibid.*

Explicit Index Rerum.

Addenda, & corrigenda.

Pag. 26. *lin.* 3. *ſupple*: *territorio* Verulano, Montis ſancti Johannis, & Babuci uſque ad vicum, & Martinum. In territorio *Caſtrenſi* &c.

Pag. 4. *lin.* 5. *ſupple in margine*: ita codicem corrigendum duxit Cardinalis Baronius, quum ibi *milleſimoquinto* ſcriptum ſit.

Pag. 83. *lin.* 19. *lege potius* alligato; etſi etiam antiquitus *funis* vocabulum apud probatos ſcriptores feminino genere, ut hic irrepſit, uſurpatum legerim.

ROMAE

Excudebat FRANCISCUS GONZAGA
in via Lata
M DCC VII.

Approbatione & permiſſu.

63-B1226 c.2

SPECIAL 83-B
1226
c.2
GETTY CENTER LIBRARY